

Antoni Cobos Fajardo (ed.), Joan Ramon Ferrer, *De pronomibus suiue natura* (1477), Bellaterra, Publicacions de la Universitat Autònoma de Barcelona (Microfitxa), 2000.

XXX. Transitus ad aliqua pronomina composita et aduerbia coniunctionesque et praepositiones non dictas.

[1] Sat copiose de octo nominibus secundam declinationem sequentibus et de *quis* uel *qui*, quod pronomen a non nullis fuit aestimatum, et deriuatis seu syllabicatis compositisque ab ipso dixisse puto. Consequens est ut de aliquibus pronomibus ex se ipsis aduerbiisque compositis et de non nullis aduerbiis, coniunctionibus praepositionibusque cum praedictis compositionem coniunctionemue tenentibus, et de non nullis plene in libro primo 2^oque tractatis, hic per modum regulae breuiter explanandis. Et de antedictis praesertim *quis* uel *qui* cum eisdem aliisque partibus orationis aggregationem quandam facientibus disseram.

[2] 109 igitur est regula, quod *illic* et *istic* ex *ille* uel *iste* et *hic* sint composita, sed in casibus in *-c-* desinentibus, datiuo dempto, duntaxat haec fit compositio, id est per nominatiuum, accusatiuum, ablatiuum singulares et nominatiuum accusatiuumque plurales, sed neutri generis, cum in his tantum *-c-* in fine sit inuentum. Qua de re sic fieri debet declinatio: nominatiuo *illic*, *illáec*, *illóc*, accusatiuo *illinc*, *illánc*, *illóc*, ablatiuo *ab illóc*, *illác*, *illóc*. Et pluraliter, nominatiuo *illáec*, accusatiuo *illáec*. Et *illic* similiter debet declinari. *Illic* autem significat *hic ille*, et *istic* *hic iste*. His Priscianus in XII, et Petrus Heliae et alii scribentes ibi auctoritatem praestant (cf. Prisc. 12, 17; Helias *ibid.*).

[3] 110. Ex *illic* *istic*que pronomibus compositis aduerbia *illic*, *istic*, *illinc*, *istinc*, *illac*, *istac*, *illuc* *istuc*que sunt profecta, ut ab *hic*, *ille*, *iste*, *isque* simplicibus *hic*, *hinc*, *huc*, *hac*, *illó*, *istó*, *eó*. Magna tamen in utrisque inter se reperitur differentia. Loquens enim de se membrisue suis locoue ubi commoretur, *hic* pronomine et *hic*, *hinc*, *hac* *hu*que aduerbiis uti debet; de te uero membrisue tuis aut loco ubi degas, *iste*, *istic*, *istinc*, *istac* *istu*que utetur. De tertia uero persona uel loco tertio per *ille*, *illac*, *illic*, *illinc*, *illuc*que fiet demonstratio.

[4] 111. Huiuscemodi aduerbia ex pronomibus uel nominibus similem declinationem seruantibus, ut *siquó*, *alió* profluentia accuntur in fine, ut *illó*, *istó*, *eó*, *aliquó*, *siquó*, *nequó*, *nunquó*, *equó*, *quoquó*, *alió*, *aliás*, *uná*, *quá*, *nequá* similiaque, propter concidentiam ad pronomina uel nomina remouendam, id quod et de praedictis aduerbiis *illic*, *istic*, *illinc*, *istinc* et aliis dici debet. Licet et in his, ut in *nostrás*, *uestrás* *Quirís*que et *Virgíli* pro causa dari potest concisio, cum ueteres *illicce* *isticce*que et *nostratis*, *uestratis*, *Quiritís* *Virgílie*que proferrent.

[5] 112. *Eccum* de *ecce* et *eum* componitur, ut *ellum* ab *ecce* et *illum*, et duntaxat in accusatiuo singulari pluralique masculini femininique generis declinantur, ut *eccum*, *eccam*, *eccos*, *eccas*, id est *ecce eum*, *eam*, *ecce eos*, *eas*. Et *ellum*, *ellam*, *ellos*, *ellas*, id est *ecce illum*, *illam*, *ecce illos*, *illas*. De his autem duabus regulis ultimis in 2^a parte *Catholicon*, de aduerbiorum accentu et capitulo *De eius impedimentis*, § *Concisio* et § *Causa differentiae*, et parte 5^a, in *eccum* et *ellum*, et Priscianus IIII^o, VII, VIII^o, XII^o, XIII^o XVque maioris, et in his libris scribentes fundamenta iaciunt. De his quattuor ultimis regulis, supra, libro I, § *Figurae pronominum*, usque ad § *De hoc satis sit*, plenius exarui (cf. supra 1, 5-6; 1, 6, 5; Prisc. 4, 21; 7, 18; 8, 5; 12, 17; 14, 49).

[6] 113. *Idem* de *is demum*que compositum in utroque componente per apocopam corruptionem ferens, *is demum* seu *iterum* significat, primamque producit, femininum est *eadem*, correpta penultima, neutrum est *idem*, simile masculino, sed differt in tempore, quippecum in hoc *-i-* breue sit. Et ut in *is*, *ea*, *id*, *ii* et *iis* in nominatiuo et datiuo ablatiuoque pluralibus per duplex *-i-* scribi, sed per unum pronunciari debent, sic in *idem* composito *iidem* et *iisdem* cum *-i-* duplici scribuntur, sed cum unico proferuntur, licet et cum unico *-i-* *idem* uel in plurali et *isdem* lectitetur. Et hoc fit per syneresim, nam proprie *eidem* *eisdem*que proferimus. (2) Et ut *is* relationem primam, *idem* secundam facit secundam noticiam significans, licet haec secunda relatio potius apud auctores probatissimos per *is* repetitum uel per *ille* uel *ipse*, *ipsi* *is* subiunctum, uel per *ille* uel *ipse* repetitum quoque fieri soleat. Et secundum Laurentium Vallensem libro 2^o, capitulo V^o, *idem* pro *etiam* reperitur, et *idem* copulatiuum non admittit, quod *is* saepe facit. *Idem* nanque in se uelut uim copulatiuae habet. De hoc *idem* plenius supra, libro I^o, § *De hoc satis*

sit, et libro III^o, § *Ad idem*, in regula 19, usque ad regulam 25, dixi (cf. supra 1, 7, 1; 3, 43, 1; Valla *Eleg* 2).

[7] 114. *Idem* in neutro geminatur. Dicimus enim *identidem*, cuius obliqui casus deficiunt, ut Priscianus XII^o maioris, in uersiculo *Is uero cum aduerbio demum componitur*, attestatur. Et in *identidem*, euphoniae causa inter *idem* et *idem*, *-t-* interponitur, et in priore *idem -m-* in *-n-* propter *-t-* sequens, secundum datam regulam comutatur. Ex *idem* quoque neutro geminato fit *itidem*, nam ex priore *idem -em-* remouetur et *-d-* mutatur in *-t-*. Et secundum Donatum decompositae sunt figurae, quippe cum a compositis ueniant. (2) Licet autem *identidem* et *itidem* sint pronomina neutri generis, tantum in nominatio accusatioque reperta, casibusque reliquis indigentia, et secundum *Catholicon idem simile* significant, secundum uero *Compraensorium idem ipsum* seu *idem id ipsum*, at secundum me *idem et idem* tertiam relationem faciens, ut *animal est corpus animatum sensibile, idem est species respectu corporis, identidem est genus quoad species de quibus praedicatur, ut quoad hominem, equum, bouem, leonemque*. (3) Tamen et sunt aduerbia similitudinis uel ordinis *item, iterum et iterum* uel *similiter, crebra, frequenter* cum interuallo quodam significantia, ut in his Priscianus XV maioris, *Catholicon* et *Compraensorium* et Laurentium Vallensem, libro I^o, capitulo LI^o, testes sunt egregii, supra, libro I, § *De compositis pronomibus*, et libro 2^o, § *De itidem et identidem*, et libro 3^o, § *Ad itidem et identidem*, in regula 25, plenius declarauit (cf. supra 1, 13, 2; 2, 31, 1; 3, 44, 1; Prisc. 12, 21; 15, 14; Donat. *Gram.* 2, 11.; Prisc. 15, 14; Valla *Eleg* 2, 51).

[8] 115. *Hoc et haec* cum praepositione *ad* composita notant *praeterea*. Salustius in *Catilinarii* multis locis *ad hoc* pro *praeterea* utitur, et Laurentius Vallensis et ego in meo *Elegantiarum breuiario*, libro 2^o, capitulo 5^o, in fine, praecipimus. Eadem ratio de *ad haec* manifesta est, et multis in locis pro *praeterea* uel *iuxta haec* proxime dicta legi.

[9] 116. *Hinc et huc* aduerbia localia ab *hic, haec, hoc* uenientia, cum *ab, ad, de* et *ex*, componi reperimus, puta *hinc* cum *ab, de, et ex*, ut *abhinc, dehinc, exhinc*, et *huc* cum *ad*, ut *adhuc*. Et haec proprie localia sunt aduerbia, sed improprie temporalia. Et tria priora ordinem quandoque significant. *Deinde, exinde, proinde, subinde* ex praepositionibus et *inde* aduerbio locali ordinisque sed ab *in* deriuato composita sunt aduerbia, non modo localia et ordinis, sed et temporalia. (2) *Perinde* a *per indeque* compositum similitudinis uel qualitatis est aduerbium, *sic* uel *taliter* significans. *Perinde* quoque pro *igitur* illatiua est coniunctio. *Subinde* uel frequenter cum interuallo quodam, ut *identidem* et *itidem*, significat. Et haec apocopantur non nunquam, ut *dein, exin, proin, subin*, pro *deinde, exinde*, et cetera. (3) Et in compositis ab *inde* et *quando* secundum omnes antepenultima uenit acuenda, sed et in compositis ab *inceps, longe, intus* et *orsum* idem *Doctrinale* et Egidius ususque suadent, id quod obseruandum puto, licet Petrus Heliae, Hugucio, *Catholiconque* penultimam in his acuenda scribant. De his duabus postremis regulis, supra, libro I, uersiculo *Insuper*, et uersiculo *Tandem*, plenius dissero (cf. supra 1, 8, 2; 1, 9, 1).

[10] 117. *-Met, -te, -pte* et *-ce* magis per porrectionem uel assumptionem quam per compositionem pronomibus applicantur, ut *egomet, tute* seu *tutemet*, breui penultima, ut et in *tute -te* breuiatur. Et *-pte* quinque pronominum possessorum ablatiuum cupit, ut *meapte, tuapte, suapte, nostrapte, uestrapte*, quae propriam causam, naturam, usum moreue significat, id est propria causa, natura, usu moreue. (2) *-Met* autem, *-te -pte*que discretionis causa plerumque uel significantiae pronomibus subiunguntur. In *meme, tete, sese* per accusatiuum ablatiuumque per episeusim est eiusdem uerbi uera geminatio uel putata compositio uel reuera secundum Laurentium, uel potius duorum priorum per figuram geminatio, tertii uero sine figura. (3) *-Ce* per omnes quoque casus articularibus quidem uel demonstratiuis pronomibus, id est ab aspiratione incipientibus, apud uetustissimos solebat adiungi, ut *hicce, haecce, hocce*, ut adhuc in *hiccinae* et *hoccinae* uideri potest, in quibus *-e* in *-i-* conuersa et addito *-nae* diphthongo, sed breui interrogatio uel pro *certe, ualde, ue* uel *ne* pro *an* enclitica coniunctione, sine ulla compositione credatur. (4) Posthac antiquissimis succedentes recentioresque auctores imitatione digni solis casibus eorum pronominum in *-s* desinentibus *-ce* uel saepenumero coniunxerunt, ut *huiusce, hisce, hosce, hasce*, quibus oratores nedum poetas usos fuisse reperimus. Verum *-met, -te, -pte -ce*que potius deriuationem quam compositionem faciunt, quippe cum seiuncta nihil significare possint. Syllabica nanque adiectio mutat speciem, non figuram. Nihil enim repraesentat, quod possit intelligi, licet dictiones officium aliquatenus alterare uidentur. (5) De his syllabicis adiectionibus, Priscianus in XII^o, carta VI^a, et XIII^o, carta 2^a, uersiculo *Auctores frequenter*, de *-ce*, et de aliis, in cartae V principio, ubi de aditamento *-met*, et primo minoris, ubi Petrus Heliae praeter dicta in antedictis libris, sic ait, ultra medium: «Recipiunt autem haec et alia pronomina causa maioris significantiae syllabicas adiectiones, prima et secunda persona et tertia per omnes casus assumunt *-met*, excepto nominatio *tu*, ne si *tumet*

dicatur, putaretur uerbi tertia persona, sed assumit *-te* uel *-temet*, ut *tute* uel *tutemet*. Et in praedictis libris expositor antiquus modernusque scribunt, et *Catholicon* in 3^a parte sui operis, ubi de nominis figura docet, capitulo *De syllabicis adiectionibus*, in fine (cf. Prisc. 12, 23; 13, 8; Helias *ibid.*).

[11] 118. *Mecum, tecum, secum, nobiscum, uobiscum* non sunt aduerbia ex pronomibus et *cum* praepositione composita, ut Donato uidetur, sed est ibi duarum partium per anastrophe aggregatio, ut in *quicum, quocum, quacum, quibuscum* similibusque. Et in *cum nobis* causa fuit obscenae prolotionis uitatio, ne uocum primae partes, puta, *cunno*, de *cum* et *no*, mulierum uiduam significare uiderentur. In aliis uero causa fuit consortium, ut omnium regula esset una. (2) In his autem pronomibus omnibus *cum* grauat, ac si cum ipsis praecedentibus esset una dictio, eo quod et praeposita grauaretur, licet fuisset acuenda, cum monosyllaba breuis sit et postposita. Et accentum super ultimam syllabam praecedentium ablatiuorum ponens eum ad se uideatur inclinare, adeo ut quamuis in monosyllabis *me, te, se* uere non inclinaret, cum in se suum accentum seruent, ut in *duxque, uirue, estne* (3) Tamen et in his encliticae tenet officium. Si uero cum ablatiuis postponatur aliis acuenda est, ut *quicum, quocum, quacum, quibuscum*, nam et praeponi potest, ut *cum qui, cum quo, cum quibus*, ut *quo de, qua de*, pro *de quo* et *de qua* reperitur. Vnde et *qua de re* et *quibus de rebus* saepe legitur. De his Priscianus XII^o XIII^oque maioris primoque minoris cuius textus in XII, supra, libro II, § *Quoniam autem*, ad uerbum scripsi, et Petrus Heliae alique super XII^o, et *Catholicon* in 2^a parte, capitulo *De impedimentis accentus*, § *Enclesis*, plene docent (cf. Don. *Gram.* 13; Prisc. 12, 28; 13, 12; 17, 29; Helias *ibid.*; *Catholicon* 2, 26).

[12] 119. *Hoc est* et *id est* coniunctiones compositae expositiuae non sunt, nam cum uerbis nomina componuntur et per omnes casus, nominatio uocatioque utroque exceptis, ut *Marcus, hoc est Tullius*, et *Marcus, id est, Tullius*, ut *Catholicon* in 3^a parte, in capitulo *De figura nominis composita* (3, 51), declarat manifeste, nec talis coniunctionum species legitur. Ideo orationes expositiuas nominemus. (2) Et illud pronomen *hoc* demonstratiue, et hoc pronomen *id* relatiue existit, et termini praecedentis intellectum respicit, non suppositum, et ideo in neutro genere numeroque ponitur singulari. Haec *Catholicon* in V^a parte, in *Hoc est*, praecipit. De his tribus postremis regulis, supra, libro I^o, § *-Met autem, -te, -pte et -ae*, cum quattuor uersiculis sequentibus, usque ad § *De compositis*, et aliquid libro 3^o, in regulae primae fine (cf. supra 1, 10, 1-1, 12, 2; 3, 40, 2).

XXXI. De personis nominum, pronominum, participiorum et pronominum deriuatorum.

[1] 120 regula. Quod omnia nomina, pronomina et participia tertiarum personarum sunt, praeter *ego*, quod est primae, et *tu* cum uocatiuis secundae, et ea pronomina deriuatiua quae ab *ego tuque* proueniunt, quae intrinsecus, id est finite determinateque seu ex se prolotioneque siue sine quopiam coniuncto exterius, id est ab exteriori parte, per sui principium significando possessorem manifeste sunt profecto primae secundaeue personae. (2) Tertiae uero extrinsecus, id est infinite indeterminateque seu per finem suum cupiendo, quid extra sibi ad determinationem infinitatis adiungi. Nam cum *meus* dicitur, cuius quicquam sit, mei uidelicet, intelligitur, igitur diffinite possessor demonstratur. Verum quantum ad possessionem indeterminatam animus in dubio et pendentis est. Itaque reposcit ut aliquid extra, puta determinata, copuletur possessio, ut illa infinitas et incertitudo declarentur. (3) Possessio quidem dicitur infinita, donec *filius* aut *equus* aut quippiam tale coniungatur. Haec Priscianus XII maioris, ubi de VII pronomibus deriuatiuis docet, et primo minoris, § *Et sciendum quod*, et Petrus Heliae in fine XII explicant. Vbi quoque exponitur deriuatiua pronomina intrinsecus proprii loco fungi. Extrinsecus autem magis appellatiui, ut et nomina possessiua a propriis deriuata. Haec et alia cum et aliorum auctorum adiumento supra, libro I, § *Tempestiuum est*, usque ad § *Casus pronominum*, plenius explanauit (cf. supra 1, 14, 1-1, 16, 1; Prisc. 12, 21; Helias *ibid.*).

[2] 121. Casus pronominum, ut nominum participiorumque, sex sunt. *Sui* uero nominatiuum nec habet nec habere potest, et omnia pronomina uocatiuis indigent, demptis quattuor: *tu, meus, noster* et *nostrás*, supra, libro I^o, § finali qui incipit *Casus*, dixi (cf. supra 1, 16, 1).

[3] 122. Prima pronominum est declinatio quae genitiuum in *-i* uel in *-is* et in *-i* datiuum facit, ut *ego*, genitiuo *mei* uel *mis*, datiuo *mihi*. Sed primae personae recto non inseruit regularis formatio, quandoquidem *ego egoni* uel *egonis*, datiuo *egoni* regulariter declinari debuisset.

[4] 123. *Mei* pro *de me* per alleothesiam reperio. Terentius in *Andria* (614):
«Quid mei faciat?»

pro quid de me? ut Priscianus primo minoris ait, quod supra, libro 3^o, uersiculo *Diuersi quoque casus*, ubi de alleo theta secundum Priscianum tracto, copiose scribo (cf. supra 3, 13, 4; Prisc. 17, 160).

[5] 124. *Mihi* cum aspiratione scribitur in medio, nec *-c-* ante aspirationem habet, ut in antiquissimis marmorum descriptionibus Romae et alibi legitur. Sed propter hiatum fugiendum *-c-* fuit in prolatione adiunctum, ex quo indocti cum *-c-* coeperunt scribere, sed docti cum *-c-* proferentes illa de causa scripturam retinere priscam. Et idem de *nihil* et *nihilum* dici potest, licet Tortellus aliique aliter dicant. (2) At nostri quandoque, Tortello referente, *mi* pro *mihi* unica syllaba absque sequenti aspiratione scribitur, qui Virgilio, Iuuenali Catulloque confirmat, et, Festo Pompeio teste (Fest. 157), *me* pro *mihi* ueteres proferebant.

[6] 125. *Tu* genitio *tui* uel *tis* datiuo tibi facit, sed in genitio plurali, secundum A. Gellium (20, 6, 2), potius *uestrum* quam *uestri* dici debet, ut et *Alfonsina* refert.

[7] 126. *Sui* non recipiens *sis*, ne secunda persona futuri optatiui uel praesentis coniunctiui de *sum*, *esse*, uideretur, *sibi* in datiuo facit. Itaque secundum hanc declinationem primam duntaxat horum trium pronominum reperitur declinatio.

[8] 127. Secunda uero declinatio genitium in *-ius* coniunctim uel diuisim et in *-i* datiuum finit. Coniunctim ut *is*, *ea id* genitio *eius*, datiuo *ei*. Diuisim ut *ille*, *illa*, *illud*, *illius*, *illi*. Per hanc autem quinque pronomina *ille*, *ipse*, *iste*, *hic* et *is* solummodo declinantur. Et horum genitui datiuos una syllaba superant, ut et *cuius cui*, et nominatio in *-ius* coniunctim uel diuisim terminati una syllaba uocatiuum in *-i* exeuntem uincunt, ut *Antonius Antoni*, *Pompeius Pompei*. (2) Ita quod in *his* similibusque, ut et in *cui* et *huic*, id est consona sit naturaliter, licet propter absonum fugiendum pronuncietur uocaliter, sed *huic* propter coincidentiam de *hui* dissyllaba interiectione remouendam, *-c-* fit adiectum. Sed et *ei*, quod monosyllabum esse deberet, propter *eius* disyllabum, ut ab *ei* interiectione dolendi monosyllaba differat, uelut dissyllaba per dieresim profertur etiam a poetis. *Huic* autem et *cui* non modo secundum regulam praelibatam, sed etiam secundum poetarum usum sunt monosyllaba. (3) Dissyllaba uero quandoque, sed rarissime, per dieresim sunt reperta. Nec modo *ei* sed et *eis*, *eidem* et *eisdem* per dieresim passim proferuntur, licet et *idem* seu *iidem* et *isdem* seu *iisdem* disyllaba per syneresim saepius sint inuenta. De his et supra, in 65 regula documenta dedi. (4) Has sex ultimas regulas, supra, a principio libri 2 usque ad § *Hanc secundam pronominum declinationem*, cum fundamentis suis, longius explanauimus. Materia uero huius § *Hanc secundam pronominum declinationem*, circa illa octo nomina, quae secundam pronominum declinationem sequuntur: *unus* et *ullus*, et cetera, et composita ab eis, usque ad § *Quoniam autem quis uel qui*, materiamque huius § *Quoniam autem*, circa *quis* uel *qui* eiusque syllabata compositaque, usque ad § *Bonas autem latinitates*, et ab hoc § *Bonas autem latinitates* usque ad § *Quotidie de quot et dies*, bonas latinitates circa ea octo nomina et *quis* uel *qui* et quorumlibet composita, et a *quis* uel *qui* syllabata et aduerbia coniunctionesque inde profectas aliasque consimiles, satis et plusquam satis in hoc libro per antedictas regulas declarasse et breuiter recolegisse reor. Ad reliqua transitum faciam (cf. supra 4, 22, 6; 2, 1-2, 2).

XXXII. De *citra*, *interim*, *fere*, *temere*.

[1] 128 regula est igitur *citra* pro *fine*, *interim* pro *aliquando* poni secundum Laurentium Vallensem, libro 2^o, capitulo L, ubi de *feré* et *temere* habetur, in principio, quod *feré* notat pené, et uniuersalitem aliquam, ut Quintilianus (7, 32, 1): «Hae fere sunt emmendatae loquendi scribendique partes», id est *feré* omnes. Ideo saepius *omnes* adiungitur, ut idem (1, 3, 3, 3): «Nam in omnibus *feré* minus ualent praecepta, quam experimenta». (2) Itidem de loco, tempore similibusque: *Romani feré orbem subegerunt*, id est *feré* totum orbem. *Feré fit, ut iuuenes ament*, id est *feré* ubique. Haec de loco, de tempore: *feré utor hac ueste in faciendis sacris*, id est omni *feré* tempore. *Temere* apud omnes post Ciceronem florentes, ut Quintilianum pro *feré* surrogatur: «Illud ingeniorum uelut praecox genus non temere unquam peruenit ad frugem». (3) Prisciano in XV, et ibi Petro Heliae praecipientibus, *feré* aduerbium remissiuum est, secundum Varronem (*Ling. Lat.* 7, 92) est ferme, utrunque dicitur a *ferendo*, quod id quod fertur in motu est, atque aduenat. Secundum Nonium (Non. 414) *temerarium*, metuendum, sollicitum, et sicuti plerunque a *temeritate* *Temere*, id est sine causa, interdum fortuitum, male, improuide. Secundum Seruium (Serv. 9, 373) *temere*, improuide, inconsulto, sine causa, ut plenius in *Alfonsina* uideri potest. (4) Secundum *Catholicon*, *feré*, id est iuxta, prope et a *fera* dicitur, cum enim *ferae* toto ferantur corpore, magnae celeritatis sunt. Item *feré*, id est pene, ferme. *Temere*, a *temetum*, id est fatue, praesumptiose, stulte, sine causa, sine consilio. Inde *temeritas*, praesumptio, uiolentia, fatuitas, et *temerarius*, *-a*, *-um*,

praesumptuosus, audax, qui audenda et non audenda audet, et temerarius est qui pericula non aestimat, audax, qui no timet. (5) Et secundum hoc *obiter* ex *ob* et *iter* componitur, id est interim, dum est in itinere, secundum Laurentium, ubi supra, pro aduerbio *obiter* pro spatialiter, tali causa. De his supra, libro 2^o, § *Quotidie*, uersiculo *Citra*, plene dicitur. In § sequenti de *itidem* *identidem*que docemus, sed quia supra, regula 114, breue praeceptum dedimus, non repetimus (cf. supra 2, 30, 2-4; 4, 30, 7; Prisc. 15, 14; Helias *ibid.*; Valla *Eleg.* 2, 50).

[2] 129. *Perinde* post se *acsi* uel *atque si* requirit, cum sua significatio ita sit, ut *me perinde tractes, ac si*, uel *atque si* pro *sicut, si filius tuus essem*. Cum negatione uero quam flagitat etiam. Suetonius de uita Domitiani (15, 3): «Nulla tamen re perinde motus quam responsio Aschitarionis mathematici». Quod si nec *acsi* uel *atque si* nec negatio subsequatur, pro *ita* sumetur, id est multum. Vt idem Suetonius de uita Galbae (13, 1): «Qua re aduentus eius non perinde gratus fuit». ¶ *Proinde ideo* uel potius *ideoque* importat. Semper enim a superiore pendet sententia. *Subinde* pro *inde* uel *deinde*, statim et pro *identidem* siue frequenter, cum interuallo quodam reperitur. Cetera dic, ut supra, hic regula in 116 retuli, et supra, libro 2, § *De Itidem*, uersiculo *Laurentius et ego* (cf. supra 2, 31, 3; Valla *Eleg.* 2, 51).

[3] 130. *Num pene an* denotat negationem intelligens, cum interrogatiuum sit solum indicatiuum cupiens. Vnde per *non* facienda est responsio. Terentius in *Phormione* (*And.* 943):

«Num quid meministi?»

Idem (*Phorm.* 474):

«Num quid subolet patris?»

quasi dicens *non* Hoc magna ex parte in XV^o (15, 3) Priscianus refert. Itaque si dixerō *num hominem occidi?* non occidisse intelligo, uerum si per negationem fiat interrogatio, intelligenda est affirmatio: *non hominem occidisti*, quasi dicens *tu occidisti* (2) Sed et quod de *num* dictum est, id de *nunquid* dici potest, ut praeter multa alia loca, in *Clementina pastoralis*, § *Notorium*, uersiculo *Esto*, de re iudicata uidere possumus manifeste. Et ibi Paulus secundum Ioannem de Linyana et Franciscus de Zabarellis dicit aperte. Igitur *num* et *nunquid* indicatiuo copulantur soli, cui spectat interrogatio, et negationem subintelligunt, uti si per *non* interrogatio facta sit, affirmatiua responsio peroptatur.

[4] 131. Non in *aut* sed in *an* consistit interrogatio, quod et de *ne* dici debet. In his enim non in *aut* interrogatio et contrariorum quidem est, qualis illa *quid dicam? aut quid faciam?* non est. De duobus ita quaero, ut utrum mihi faciendum et utrum non faciendum sit, dubitem. Igitur *an* non solum interrogando, sed et citra interrogationem utimur, ubicunque quippiam contrarietatis insit, ut *dubito, an uiuat pater an mortuus sit*, et maiori sub numero, *nescio an pater sit Romae, an ualeat, an uiuat, an uenturus ad me sit*. (2) Muta uerbum dubitationis inscientiaeque in aliud uerbum dissimile hoc pacto, *scio an uiuat pater, an mortuus sit*, barbaramente loqueris. Latine uero *nescio an uiuat pater an mortuus sit*. Itaque uerbis huiusmodi dubitationis et inscientiae cum *an* subiunctiuum copulamur, uerbis autem opinionis et scientiae indicatiuum cum *quo* et *aut* hoc modo: *opinor, uel scio, quod pater aut mortuus est aut grauiter aegrotat*. (3) De *ne* ex multis auctorum dictis passimque iunctis breuiter praecipio, quod *ne* neque causales et adiunctiuae coniunctiones sint, et copulatiuae quoque, *num* et *an* abnegatiuae. Item *an* et *ne* dubitatiuae. *Ne* quoque confirmatiua est. Nec *ne* uel pro *anne* et *ne* quandoque apostrophatur, ut *uiden* et *satine*, pro *uidesne* et *satisne*. Insuper *ne* dehortatiuum est, et *ne* pro *ualde* et pro *saltem*, et *ne* pro *neque* et pro *ut et non* et pro *nunquid* accipitur. Prohibendique fit aduerbium, ut *ne omnibus credas*. (4) Verum *ne* enclitica coniunctio seu pro *an* et pro *utique* uel *ualde*, licet in his duobus postremis significatis diphtongata sit, breuiari debet. *An* et *ne* pro *an* quandoque coeunt, quod magis est poeticum, et sine interrogatione quid duri habent, quia per interrogationem geminatio quid urgentis, quam *an* simplex facit et instantius, ut ex aliis compositis palam est (*Verg. Buc.* 2, 14-15):

«Nonne fuit satius tristes Amarillidis iras

atque superba pati fasatidia? Nonne Menalcam?».

In hac uero interrogatione per *nonne* facta, non id agitur, ut nescienti respondeas, sed scienti cogaris assentiri. Nec alia uis orationis est, quam si *annon* diceres, quod magis quam *solum non* commouet. Et hoc *solum non* pro illo composito *annon* uel *nonne* saepe solet accipi. (5) Alia sunt composita *itane*, *ergone*, si modo haec composita sint reuera, quae interrogando responsionem non poscunt, sed assensum extorquent. De his duabus ultimus regulis, supra, libro 2^o, uersiculo *Num pene an*, usque ad uersiculum *Satis de num et nunquid et an et annon et ne* ubi de *aut* uel *neque* tractatur, eo quod de *aut* mentio facta foret, et quia magnam cum proxime dictis conuenientia habere uidentur. De quibus sequens regula potest elici (cf. supra 2, 31, 4-14).

[5] 132. *Aut, uel et ue* regulariter coniunctiones disiunctiuae sunt, nec pro *an* uel *ne* debent accipi, in quo multi errant. *Vel* secundum Priscianum in XV pro *ualde* frequenter accipitur. Et secundum eundem in XVI subiunctiua est etiam coniunctio, et pro *etiam* ponitur. Necnon diminutionem significat. Nam et in XVI^o, Petrus Heliae *uel* pro *saltem* exponit. (2) Et secundum eundem Priscianum primo minoris coniunctiones quoque copulatiuae et disiunctiuae ab illis partibus orationis quae sibi sociantur dinoscuntur esse. Ideo *uel et aut* non solum disiunctiuae, sed etiam copulatiuae reperimus, ut et *que* non solum copulatiua, sed etiam disiunctiua legitur, sed et aliae partes pro aliis accipiuntur. Nec id nisi ex adiucntis scire potest, ut *per* si uerbo uel nomini apponatur, pro *ualde* aduerbii loco accipitur, ut *peramo, pertulis*. (3) *Ve* magis ad *uel* quam ad *an* accedit, raroque nisi adiuncta *si* geminatur, ut *sive hoc siue illud*, aut adiuncta *ne* por *ut non*. Quintilianus (8, 6, 15, 4): «Cauendum etiam neue sit maior translatio, quam oporteat». Lucanus sine compositione aliqua (1, 125-26):

«Nec quenquam iam ferre potest Caesarue
priorem Pompeiusue»,

id est non potest iam aut Caesar superiorem ferre aut Pompeius parem. (4) Et secundum *Catholicon Compraesorium*que *ue* dolentis uel execrantis uel maledicentis est aduerbium, ut *ue illi per quem scandalum uenit*. Item *ue*, id est *sine*, unde *uesanus* per compositionem secundum Hugutio. Tandem *ue* enclitica est coniunctio et pro *uel* surrogatur, tumque postponitur. De hoc supra, in dicto uersiculo *Satis de num et nunquid* usque ad § *Vt autem huiusmodi*, plenissime scribitur, unde de *sive et seu* aliisque coniunctionibus alia regula elicitur (cf. supra 3, 33, 1-ss.; Prisc. 15, 18; 16, 7; Helias *ibid.*; Valla *Eleg* 2, 17).

[6] 133. *Sive et seu* disiunctiuae coniunctiones sunt, ut ex Prisciano XVI maioris, uersiculo *Disiunctiue*, liquet, ubi Virgilius allegat in VII, sic dicentem (*Aen.* 7, 199):

«Sive errore uiae seu tempestatibus acti»,

ut *uel dies est uel nox*. Ad hoc facit *l. Quod si seruus, § I, ff. De in rem uerso.*, et Bartholus in *l. Si is qui CC, § Vtrum, co. III, ff. De reb. du.* (D. 15, 3, 3; D. 34, 5, 13, 3). Item *sive seuque* coniunctiones subiunctiuae sunt, ut Priscianus in eodem XVI, uersiculo *Subdisiunctiuae* (16, 7), tenet: «Subdisiunctiuae sunt quae uoce disiunctionem utrunque tamen esse significant, uel simul ut copulatiuae uel discretiae». (2) Et infra: «Et *Alexander siue Paris*, pro *Alexander* qui *Paris* dicitur. Similiter *Mars siue Mauors, Gradus uel Maspiter, praesul est bellorum*». Deinde quod *sive* subdisiunctiua sit coniunctio, in *l. Ad protegendam, C. De in litem dan. tu. uel cura*, textus est notabilis: «Ad protegendam causam tutor siue curator datus». Item ibi Accursius super uerbo *sive curator* sic ait notabiliter: «Subdisiunctiuae, ut ibi *Alexander siue Paris*, id est nam tutor certe rei dari non potest» ††. Et ibidem Bartholomeus de Saliceti inquit: «Nota ex glosa prima quod dictio *sive* non simplex et mere disiunctiua, quando ponitur inter incompassibilia, ideo stat declaratiue et correctiue». (3) Insuper in *l. Cum quidam, C., De uer. sig.*, non solum quoad coniunctiones antedictas, sed etiam ad copulatiuas ad naturam coniunctionis *seu*, cuiusmodi officium potissimum ampliandi sit per *l. Siquis ita ff. De aur. et ar. le.*, ibi: «Hoc enim uerbum *seu* ampliandi legati gratia positum est», Cynus, Bartholus, Ang., Salicetus, Franciscus de Ramponibus et Pontanus uideantur. Praeterea Bartholus in *D. l. Siquis ita*, tandem textus, glosa et doctores, praesertim Bartholus, in *l. Si is qui CC, § Vtrum, ff. De reb. du.*, faciunt. De his in dicto § *Vt autem huiusmodi*, usque ad § *Ceterum*, scripsi plenissime (cf. supra 2, 34, 1-9; C. 5, 44, 3; C. 5, 44, 3; C. 6, 38, 4; D. 34, 2, 30; C. 5, 44, 3; D. 34, 5, 13, 3).

[7] 134. *Et cum que*, sed et sua composita negatiua *neque* et per apocopen *nec* accipiantur multifariam. *Et* enim et *que* pro *quia* et *interdum*, sed diuersis in rebus uenustius duplicantur, ut *te admirantur et ciues et hospites*. Virgilius (*Aen.* 1, 229):

«O rex hominumque deumque»,

id est rex et hominum et deorum. Raro tamen in prosa, in carmine uero frequentius. De *nec, neque, seu, siue* similibusque geminatis multa reperimus exempla. *Et, ac et atque* sententiarum iniciis competunt. (2) Item *ac et atque* pro *quam* non nunquam ponuntur, praesertim si aduerbio *aliter* uel *secus* subiungantur, et tunc uim obtinent aduerbii. Virgilius 3^o *Aeneidos* (3, 236):

«Haud secus ac iussi faciunt»;

Terentius in *Phormione* (31):

«Simili utamur fortuna atque usi sumus»,

ut Priscianus XVI maioris et primo minoris, et Petrus Heliae in XVI, asseuerant. *Et* quoque affectui seruit *interdum*, ut Cicero *Pro Milone* «Et sunt qui de uia Appia loquantur, taceant de curia?» *Interdum* neque copulam neque affectum significat, ut *superavi in palestra illum, et est tam uastus, uel et sum tam pusillus. Interdum etiam tali modo defendi fortissime illam legem, et hoc in tam prouecta aetate* (3) Hoc quoque per

que et atque et per negationem, ut *nec* uel *neque*, potest fieri. Insuper *que* pro *et* et *quoque* pro *etiam* debent accipi, et *quoque* pro *et* secundum Priscianum in XVI, sed *que* ibi quando superuacua ponitur, completiua est, et pro similitudinis aduerbio, ut *item*, accipitur. Praeterea Priscianus in VIII et pro *sicut* posuit, ibi, in *actiuus et passiuus*, ubi Petrus Heliae et pro *sicut* exposuit. Et ad hoc ibi Lucanus allegat (10, 6):

«Victoris uictique caput»,

id est uictoris sicut uicti. (4) Ad hoc *et* pro *etiam* apud Ciceronem nusquam reperitur, sed apud ceteros posteriores eo. Itidem de *nec* pro *nec etiam*, Cicero quidem *ne quidem* ponit, ubi posteriores *nec* pro *nec etiam* ponere consuescunt. Denique *et*, *atque*, *neque* et *nec interdum* miscentur, nunc ab hoc, nunc ab illo sumpto principio, ut *et pacem respuis nec bellum geris*, uel *nec bellum geris, et tamen respuis pacem*. In *nec* enim siue *neque* et *uel*, *que* est inclusa, quae pro *et non* uel *que non* resolui potest. In his etiam poetae maiorem uerbi permittunt licentiam. *Nec* et *neque* ante *enim* uel *uero* pro negatione simplici *non* composita poni putes, quandoquidem idem est *nec enim* uel *neque enim*, quod *non enim*, nisi resoluamus ita: *non et enim*. *Neque uero* idem est quod *non uero*, licet *non uero* dicatur barbare. (5) De his supra, libro 2^o, § *Ceterum*, uque ad uersiculum *Idem Laurentius et ego*, plene cum suis fundamentis dixi in ipso uersiculo *Idem Laurentius de nam, nanque, nam quod, quod autem, quod uero* uel copiose dico, quae hic non resumo, cum iam in 89 regula breuiter quin potius longe sit adiectum. Sed et pro maiore horum omnium intelligentia perspice secundum Priscianum de coniunctionibus copulatiuis, continuatiuis, succontinuatiuis, causalibus, adiunctiuis, approbatiuis, in XVI, textus eius et dicta Petri Heliae super *ne* et *neque* et approbatiuis coniunctionibus referendo, quae dicto libro 2^o, uersiculo *Porro*, usque ad § *De Iterum antehac*, scribo (cf. supra 2, 35, 6-2; 2, 36, 2; 2, 35, 1-4; 4, 28, 2; Prisc. 16, 2; 17, 11; 16, 14; 8, 23; Helias *ibid.*).

XXXIII. De iterum, antehac, posthac, deinceps et iterum.

[1] 135. *Iterum* etiam ad primam uicem non tantum ad posteriorem refertur, nam *iterum uoco te* id est *itera uice*, usitatum est. Ideo *Catholicon* in *iter* ait: «*Iterum* ordinis uel temporis est aduerbium. Et *iteratim* similiter ordinis uel qualitatis et sic ablatiuus *iterato* aduerbialiter ponitur. Et in uerbo *iterum* dicit. *Iterum* quasi altera uice, quasi iter alterum secundum Papiam». (2) Enimuero secundum Laurentium Vallensem (2, 56) ut usitatum est *iterum uoco te* id est *iterata uice*, ita minus usitatum *iterum uocauit praeter hanc uicem*. *Ante hac* et *posthac* sunt huic similia, hoc est *ante hoc* uel *post hoc tempus*. *Deinceps* pro *dehinc*, pro *deinde* proque *gradatim* accipitur, sed cum dicitur *iterum ad tarda reuerti corpora*, *iterum*, ut *rursus* pro *econtrario* aut *reuertere redireque* pro *uenire* debet assumi.

[2] 136. *Utro citroque* in factis est et dictis. Quintilianus (Decl. 2, 20, 13): «*Iuuenis* solet *ultra citroque* commeari». Cicero VI *De republica* (Rep. 9): «*Multisque uerbis ultra citroque habitis*, ille nobis consumptus est dies», nec elegans esset *huc et illuc commeari*, nisi significes errandum et incertum iter, ut Cicero V^o *Ad Herennium*, in *Imago* (4, 49, 62), de *Catilina* dicit: «*Circumspectans huc et illuc*, si quem reperiat, cui aliquid mali faucibus afflare, ore attingere, dentibus insecare, lingua aspergere possit». (2) *Sursum* et *deorsum* rite utemur, si de fortunae mutabilitate inaequalitateque loquamur, quae nunc tollit, nunc deprimit. *Utro* sic a *sponte* differre dici potest, quod *ultra* quasi sine requisitione, ut *ultra ad te ueni*, quasi a te non requisitus; *sponte ad te ueni*, id est meo consilio, et sua sponte, id est per se exponimus ad res inanimatas etiam transferendo, ut *multae arbores sua sponte nascuntur*. Has duas ultimas regulas, supra, libro 2^o, § *De iterum, antehac*, et uersiculo *De ultra*, plene examino. Quod in uersiculo *Ego autem hic comminus adiicio*, de *comminus* addo, iam libro III^o, regula 81, dictum est (cf. supra 2, 37, 1-2; 4, 24, 11).

[3] 137. *Vicissim* pro *secundo loco* siue *ediuerso* siue *econtrario*, et *perraro* pro *inuicem mutuoque* accipitur. Et *mutuo* pro *inuicem uicissenque*, sed et pro *respondentur*, supra, libro 2^o, uersiculo *De uicissim*, plenius explico, ubi in uersiculo sequenti qui incipit *Hic autem adiicio*, de *utrinque in alteros* et *inter se* quid importent, et in quo cum *inuicem mutuoque* differant, plene dico (cf. supra 2, 38, 1).

[4] 138. *Scilicet* et *uidelicet* certe significare uidentur, sed usum suum praecipuumque per amaritudinem quandam cum derisu permixtam cum interrogatione habenti, ut apud Virgilium (*Aen* 4, 379):

«*Scilicet* is superis labor est?».

Et apud Terentium (*And* 185):

«*Idem* populus curat *scilicet*?».

Sine hac acerbitate et interrogatione reperimus, Quintilianus: «*Sed* est *uidelicet* ultima calamitatum rabies». (2) Non nunquam post *relatiuum*, sicut quidem poni solet, non nunquam et ante uel sine

relatiuo. Et hi sunt fere modi utendi his duobus dictionibus apud doctissimos, apud quos uix modus uulgaris inuenitur, qualis est confuse dicta per singula uel species declarari: *quattuor sunt uirtutes, scilicet, uel uidelicet, prudentia, iusticia, fortitudo, modestia*. Haec supra, libro 2^o, uersiculo *In capitulo uero finali libri 2 plenius inuenies* (cf. supra 2, 39, 1).

[5] 139. Coniunctio *uel* aduerbium disiunctium ante adiectiuum ad uariam substantiam aplicandum uel uerbum, post quod geminetur, praemitti sed non postponi potest. Non enim recte dicitur *corrupto uel corrupte uel mente*, cum adiectiuum illud ad utrunque substantiuum in genere et numero debeat applicari. Nec de *uel* tantum sed et de ceteris per *et* coniunctionibus intelligo, ut *corrupto et corrupte et mente*, sed latine dicitur *uel corrupto, corrupte uel mente*, aut *uel corrupte uel mente corrupta*. Idem de *et* similibusque dices. (2) Nec hoc solum, ubi cum adiectiuo substantiuum adest, sed et sine eo, ut *tu nec faceres nec ego permitterem*. Cum hic sermo latinus non sit, dicendum est *nec tu faceres nec ego permitterem*, aut sic: *tu nec faceres nec a me facere permitteris*. Tota nanque a dictione prima dependet oratio. Item *potes cognoscere partim ex aliorum sermone, partim te edocebit ipse tabellarius*, non est latinum, sed sic: *partim potes cognoscere*, et cetera, aut sic: *potes cognoscere partim ex sermone tuo, partim ex tabellario*. (3) Iccirco nec uerba diuersam naturam habentia commiscenda sunt, ut sequitur: *ille mihi nec nocuit unquam nec profuit*, aut sic: *ille nec nocuit mihi unquam nec me audiuit*, aut *ego nec offendi se nec eidem profui*. De hoc in meo *Elegantiarum breuiario*, post Laurentium Vallensem, libro 3^o, capitulo 30, dixi supra, libro 2^o, § *In libro uero 3^o* (cf. supra 2, 40, 1; Valla *Eleg* 3, 25-26).

[6] 140. Non nunquam tres negationes id quod duae efficiunt, modo recta sit dictionum collocatio, ut *nunquam mihi nec offuisti nec profuisti*. Tres hic negationes sunt, muta primam et totam uim amittes, ut *mihi nec offuisti nunquam nec profuisti*, uel sic *mihi nec offuisti nec profuisti nunquam; nescis nec in pace nec in bello uiuere*, ibi tres negationes sunt, hic duae, cum eadem sit sententia. Laurentius et ego, libro 3^o, capitulo 31^o. Dixi supra, libro 2^o, uersiculo *Item in capitulo sequenti* (cf. supra 2, 41, 1; Valla *Eleg* 3, 27).

[7] 141. *Vereor, timeo, metuo* et similia idem cum negatione et sine ea faciunt, ut *uereor ne ueniat*, et *uereor ut ueniat*. Et Ciceronis more *ut ne pro ut non metuo*, ut *ne pereat*, et ideo *caue ut sis tristis* et *ne sis tristis* dici potest, licet Seruius primo *Georgicorum* repraendit (1, 96), qui dicunt *pater adem, caue ne te tristem sentiat*, nam secundum antedicta uterque modus est idoneus. Laurentius Vallensis et ego in proximo libro et capitulo antedictis, supra, libro 2^o, uersiculo *Vereor*, plene dixi. Sed in uersiculo sequenti de *neutiquam, nequaquam, nusquam* alicubi uno uerbo contentis, et de *neubi, sicubi, sicunde* duo uerba requirientibus explico, de quibus hic regulam 35 formaui. Ideo hic omitto, sed ex adiunctis in dicto uersiculo sequenti et in uersiculo *Huc addamus* et uersiculo *Diuersum* una regula formari potest (cf. supra 2, 41, 2-3; 4, 12, 5; 2, 41, 4-5; Valla *Eleg* 3, 27).

[8] 142 igitur est quod *nullus, -a, -um* secundum materiam ad diuersa substantia potest adici: *uir malus nulla lacessitus iniuria ab amicitia recedit, uir bonus nulla lacessitus iniuria ab amicitia recedet, uel recedat*. Illinc enim *nulla* ad substantiuum *iniuria*, hic uero ad substantiuum *amicitia* adherebit. Et in hoc exemplo eadem uerba malo uiro bonoque dantur, sed tamen malus ab amicitia recedere, bonus non recedere dicitur, et ille non lacessitus iniuria, hic uero lacessitus. (2) Item negatio simplex uel duplex passim interponi potest, quando orationibus contrarietas nomine, secus duplici negatione opus est: *non modo stellae sed ne Luna quidem ad solem splendidiorem suum seruat*, et *non modo nullae stellae sed ne Luna quidem*, et cetera latine profertur. Ast ubi contrarietas assit, altera negatio tolli non possit, ut *non modo stellae non apparent, sed etiam Luna ad solem obscuratur*, sine negationis geminatione quis hic latine non loquatur.

[9] Vicium autem diuersum admittunt qui ad *non modo* adiciunt *sed etiam*, cum *sed saltem* aut *sed certe* aut *sed uel* deberent adiungere, ut in primo Lactantii reperitur (textum nec apud Lactantium nec apud patres repperi): «Quis enim e more non modo futura praedicem sed etiam coherentia loqui possit?». Nam dicendum erat *sed uel coherentia* aut *sed saltem* aut *sed certe coherentia possit loqui?* nisi forte culpa sit librarii. Enimuero in uersiculo *Hic in meo Elegantiarum breuiario*, carta 131, de *nemo* secundum Priscianum in VI^o adicio, de quo hic regulam non facio, cum superius in 33 regula plene dixerim, inter *nullus* et *nemo* assignans differentiam. Porro in uersiculo proxime allegato de *nihilum, nihil et nil* secundum Priscianum in VI^o, *Catholicon*, Egidium et Tortellum dico. Vnde regulam sequentem forma (cf. supra 2, 41, 6; 4, 12, 3; Prisc. 6, 15, 6).

[10] 143. *Nihilum* a *non* et *hilum, -a, -um* secundum antiquos, id est ullus aliquis, componitur, quasi *non hilum*, id est non aliquem, uel *illum* per *hilum* uetustissimi proferebant uel secundum quosdam a *non* et *hilum* pennae, inde dicitur *nihilum* quasi non et hilum, id est non et tantillum quantum est hilum, quod est quasi nihilum, et hinc apocopatum hoc *nihil* indeclinabile et *nil* sincopatum similiter indeclinabile. Et

nomina sunt diuersa et *nihilum* et *nihil* sine *-c-* cum aspiratione in medio, ut *mihi*, scribi debent, sed *-c-* quoque propter hiatus euitandum proferri. (2) Verum teste Seruio *nihil* et *nil* modo uario utimur construendo, ut si pars sequens orationis a uocali incohat dicimus *nihil*, ut Virgilius (Aen. 2, 402):

«Heu nihil inuitis fas quenquam fidere diuis».

Sin autem a consonante, *nil* adicimus, ut Iuuenalis (4, 22):

«Nil tale expectes».

Licet autem quidam *nihil* aduerbium esse putauerint, tamen nomen adiectiuum quantitatis esse ipsa demonstrat constructio, quemadmodum enim dicimus *multum bonum et boni bonorumque et minimum lucrum, luci lucrorumque*, sic *nihil malum, mali uel malorum*. Terentius in *Andria* (58):

«Nihil horum egregie praeter cetera»,

et Cicero *De signis* (2, 4, 38): «Nihil minus ferendum», pro nihil intorelabilius. (3) Aduerbii uero loco, quomodo *multum* et *primum* potest accipi. Quod et nomen esse declarat compositio. *Nihilum* enim et *nil* a *non* et *hilum*, quod sane nomen est, et pro illum a uetustissimis proferetur, uel granum uel putamen profecto fabae est adherens uel medulla pennae, est compositum. (4) Deinde a *nihilum nihilo*, *-as* et componitur *annihilo*, *-as*, actiuum est annulare, destruere, ad nihilum reducere. Insuper *nihilum* in genere neutro tantummodo comperatur, ut *nihilus*, *nihilissime*, unde *nihilitas*, *-atis*, et *hic* et *haec* et *hoc nihil* indeclinabile, uel forte genitiuus est qui figurate cum quolibet casu, genere numeroque utroque intransitiue, construatur, ut *nihili homo*, *nihili hominis*, *nihili homini*, et cetera, id est nullius utilitatis uel pretii uel ualoris homo. Et per compositionem *nihilifacio*, *is*, *eci*, et *nihilipendo*, *-is*, in eodem sensu, id est uilipendere, nullius precii aestimare. (5) De *nihilominus*, *paulominus*, *quominus* et *siquominus*, de quibus in dicto uersiculo, *Hic in meo Elegantiarum breuiario*, mentionem facio, supra, in regula 81 huius libri plene dixi, ideo hic non resumo. Consequenter in § *Ego quoque*, libro 2^o, de temporibus imperatiui modi etiam secundum Graecos, et de modorum officii significationeque eorum tracto. Vnde sequentes regulae possunt excerpti (cf. supra 4, 24, 11; 2, 42, 1).

XXXIV. De temporibus imperatiui etiam secundum Graecos, et de modorum uerbi officii significationeque eorum.

[1] 144. Regula igitur est: Imperatiuus modus tempus praesens et futurum quadam naturali necessitate assumit. Imperamus enim quae uel statim in praesenti sine dilatione ulla uel in futuro fieri uolumus. Omnis enim imperatio proprie de re futura et nondum existente fit, unde imperatiuus ad rem futuram proprie pertinet. Sed re nondum existente duobus imperamus modis. Praecipimus enim quandoque rem quamprimum fieri, ut sin non legenti dicam *lege*. (2) Ideo uox haec tempus in praesenti consignat, quamuis enim nondum actio imperata sit, tamen eam fieri praecipimus in praesenti. Sed et ei qui iam legit et actum legendi exercet, imperantes ut in finem perseueret, *lege* possumus dicere. Itaque praesens tempus imperatiuus habere debet. Item non nunquam aliquid non in praesenti sed in futuro imperamus, ut *legita*, et hoc tempus ex sua propria natura et significato habet, cum proprie imperatio de re facienda sit.

[2] 145. Imperatiua quoque temporis apud Graecos sunt praeteriti, quamuis ipsa quoque temporis ad sensum futuri spectent. Imperamus enim quandoque de re non existente, ut de futuro perfecta et transacta sit, ut sicui imperemus ut hoc hora cras porta sit aperta. Videmur enim ipsa re, ut praeteritum tempore futuro sit, ut si diximus *aperi nunc portam, ut cras aperta sit*. (2) Igitur et nos in passiuis uel aliis passiuam declinationem habentibus praeterito tempore imperatiui possumus uti, coniungentes praeteriti participium cum imperatiuo temporis praesentis uel futuri, ut *amatus sit* uel *esta doctus sit* uel *esto, osculatus sit* uel *esto, locutus sit* uel *esta*. Imperatiuus enim ex sua natura praeteriti temporis uocem apud Latinos non admittit, licet apud Graecos hoc faciat, quod locum habet, cum de re non existente imperamus, ut tempore futuro sit perfecta. (3) Imperando nanque ut cras prima hora actus aperiendi praetererit, sed et haec imperatio sententiam ad futuram spectat, sed eo ipso quod uoce aliqua imperatiui quippiam esse praeteritum apud Graecos imperatur in futuro, apud eos illa praeteriti temporis esse dicitur. Nos autem sensum illum circumlocutione complemus, coniungentes praeteriti temporis participium cum uerbo imperatiuo substantiuo uel temporis praesentis, ut *amatus sit*, uel futuri, ut *amatus est*.

[3] 146. Verborum modi sunt diuersae inclinationes animi uarios eius affectus demonstrantes, quos uaria uerbi consequi declinatio. Sunt autem quinque: indicatiuus, imperatiuus, optatiuus,

coniunctiuus, infinitiuus. Indicatiuus est quo indicamus uel diffinimus quid a nobis uel ab aliis agitur. Indicatiuus autem hoc nomine dicitur, quia plerunque ipsius rei notat essentiam, sed ideo *plerunque* dixi, quia uel dubitatiuus uel interrogatiuus saepenumero reperitur. Terentius in *Adelphis* (*Phorm* 527):

«Sic sum, si placeo, utere»,

Virgilius in 3^o (*Aen* 3, 604):

«Pro quo si sceleris tanta est iniuria nostri»,

semper dubitatiue dixit. In eodem (*Aen* 3, 319):

«Hectoris, Andromachae, Pirrhin connubia seruaris?»

(2) Itaque aduerbiis uel coniunctionibus affirmatiuis ut causalibus, quae substantiam uel rei essentiam approbant, uel etiam abnegatiuis, quae eam abnegant, opportune coniungitur: *uiuo equidem uitamque aeternam per omnia duca*. Et cum aliis quidem modis praedicta copulantur. Hic autem modus ad plenam rerum expositionem opportunus est. Ex hoc historici utuntur eo frequentissime.

[4] Imperatiuus autem est quo aliis imperamus, ut faciant uel patiantur aliquid. Persaepe tamen non modo imperantes sed et orantes eo uti solemus, ut *panem nostrum quotidianum da nobis hodie, et dimitte nobis debita nostra* et cetera. Et Virgilius primo *Aeneidos* (1, 8):

«Musa, mihi causas memora».

Hic enim modus pro optatiuo uel deprecatiuo frequentissime ponitur. Et si ad deum, secundum nos, uel ad deos omnibus superiores secundum gentiles, imperatiuo utimur, cur non etiam ad socios uel eiusdem naturae quoscunque homines, quamuis maiores nobis uel similes per connumerationem nostri quoque, quae fit in persona plurali prima, imperatiuo utemur? (2) Imperatiua uerba casibus nominum uocatiuis adiuncta perfectionem orationis habent, ut *o Apolloni, o Petre, ora* nominatiui enim uerbis substantiuis et uocatiuis plerunque egent, ut in nominibus substantiam significantibus similiter regulis, ut *qui es Apollonius, doce, qui es Petrus, ora* Per eclipsim *ego* et *tu* nominatiuos personae tertiae reperimus, ut *laetus cogito, peritissimus cogitas*

[5] Tertius optatiuus est, qui aduerbio optandi eget, ut plenum sensum significet. Optatiua uerba per se rem utrunque declarant, aduerbium uero *utinam* uotum duntaxat significat. Ad ampliorem igitur demonstrationem uerbis optatiuis *utinam* iungitur, sicut indicatiuo confirmatiua aduerbia, ut *profecto facio, certe lego*, scilicet intelligo. *O* etiam aduerbium et *si* coniunctio et *ut* pro *utinam* leguntur, et optatiua uerba per se sine particulis antedictis saepenumero collocantur.

[6] 147. Quartus modus subiunctiuus est, qui non solum aduerbio *cum* uel coniunctione *si* uel similibus, sed et altero uerbo eget, ut sensum perfectum significet. Virgilius in *Bucolicis* (3, 77):

«Cum faciam uitulam pro frugibus ipse uenito».

Et omnibus aliis modis subiunctiuus sociari potest, qui cum diuersas significationes habeat, nomen non ab una earum, sed a constructione recepit, nunc enim dubitationem, nunc confirmationem notat. Est quando suadentes hoc utamur, ut si dicam *prodest, si legas*. Est quando imperantes, ut *ne dicas, ne facias*, in quo alio uerbo non indiget. Est quando ostendentes potuisse fieri, nisi quid impedimento fuisset, ut *faciat, si placuisset, dicerem, si licuissem*

[7] 148. Subiunctiuus etiam dubitatiuus dicitur. Subiunctiuus autem uel quod subiungitur coniunctioni uel quod alteri uerbo omnimodo subiungitur, tamen ei *si* coniunctio dubitationem significans frequentissime sociatur. Terentius in *Adelphis* (934):

«Si tu sis homo, hic faciet».

Cum uero rem rei continuari demonstrat indicatiuo iungitur, ut *si uiuit, spirat, et si spirat, uiuit*. Non igitur mirum *si* coniunctionem, quae et causali et perfectiua et coniunctiua est, et indicatiuo et optatiuo et subiunctiuo possit adiungi. (2) *Si* uero indicatiuo saepe coniunctum oportet magis rem confirmari et credi sic esse et fieri posse quam dubitari. Virgilius in 2^o (*Aen* 2, 536):

«Si qua caelo est pietas»,

confirmatiue potius quam dubitatiue dixit. Itidem indicatiuis utuntur auctores, quando in ipsis esse uel fuisse rebus quippiam uolunt ostendere, ut Cicero *De praetura urbana* (2, 12, 6): «Qui si condemnatur, desinent homines dicere his iudiciis pecuniam plurimum posse. Sin absoluitur, desinemus nos de transferendis iudiciis dubitare». Virgilius in VI^o (*Aen* 6, 119-121):

«Si potuit manes arcessere coniugis Orpheus,
si fratrem Pollux alterna morte redemit
itque reditque uiam totiens».

(3) De his rebus, quas sine dubio factas esse uult ostendere indicatiuis est usus cum supradicta *si* coniunctione. Quando uero dubia res ostenditur, utrum fieri possit, necne per inductionem subiunctiuus magis utuntur. Quandoque tamen in dubitatiuis indicatiuo cum *si* coniunctione auctores utuntur. Virgilius in 3^o (*Aen.* 9, 214):

«Aut si qua fortuna uetabit»,

pro *uetet*, metri causa dixit. Nam in eodem sensu subiunctiuo est usus (*Aen.* 9, 211):

«Si quis in aduersum rapiat casusue deusue».

[8] 149. *Si* non nunquam, sicut et *ut* subiunctiua, pro defectione profertur, sed hae coniunctiones subaudiri debent. Iuuenalis in primo (1, 3, 78):

«Graculus esuriens, in caelum iusseris, ibit»,

pro *si iusseris*. Stacius in 2^o (*Theb.* 2, 242):

«Mutatosque uelint transsumere cultus»,

pro *si uelint*. *Si* tamen Graecorum instar apud Latinos indicatiuo, optatiuo coniunctiuoque adiungitur. Indicatiuo certe, quando conuenientiam denotat, ut *si ambulat, mouetur, si uiuit, spirat*, at subiunctiuo magis, quando causalis est. Quandoque tamen contingit et indicatiuo sociari, ut *si doceam, disce*, uel *discis* uel *discas*, et *si prodest tibi, fac*, et *facis* et *facias*.

[9] 150 regula. Subiunctiuus modus, ut breuiter uis ipsius colligatur, apud Latinos nunc dubitationem, nunc comprobationem, nunc possibilitatem notat, multa exempla in dicto 2^o minoris, § *Illud autem*, uersiculo *Et sciendum*, et supra, libro 2^o huius operis, sub dicto uersiculo *Et sciendum*, carta 135, reperies (cf. supra 2, 42, 11; Prisc. 18, 90-91).

[10] 151. *Vt* coniunctione causali et *si* consequentibus uel antecedentibus cum uerbis subiunctiuus, etiam antecedentia uel sequentia frequentissime per subiunctiuum Romani proferre solent, et maxime *qui* adiuncto uel *quae* uel *quod*, ratione colligentes uel dubitationem ostendentes, ut *rogabam ut te ostenderes, qui fueris, et placebas si diceris quod feceris*. Virgilius in VI^o (*Aen.* 6, 161-62):

«Quem socium exanimum uates, quod corpus humanum
diceret».

Idem Priscianus in eodem 2^o, sub § *Sciendum tamen* (18, 93), exempla multa subdit, in quibus subiunctiuus modo interrogatiue, modo dubitatiue, modo affirmatiue, mediante *si* uel *ut* uel *quod*, intelligitur.

[11] 152. Possibilitas per subiunctiuum demonstratur, ut nos subiunctiuus per se ostendere soleamus, quod Graeci per indicatiuum et optatiuum *an* graeca coniunctionem addentes, *docuissem, si discere uoluisses*, id est poteram docere. Similiter *docerem si discere uelles* id est docere poteram. Et praeteritis quidem temporibus utentes ostendimus rem non esse factam, quae facta esse potuisset. Subiunctiuo uero praesenti futuroe utentes in huiusmodi constructione posse, quippiam fieri ostendimus, nisi quid impediatur, ut *doceam, si uelis*, id est possum docere, si uoluntas tua non impediatur. Itidem in futuro *docuero, si uolueris*, id est potero docere, si uolueris.

[12] 153. Quando rei non factae nos poenitere uolumus ostendere, utimur subiunctiuo, ut Virgilius in 4^o *Aeneidos* (6, 604-606):

«Facies in castra tulissem,
implessemque focus flammis natumque patremque
Extinxissem, memet super ipsa dedissem»,

id est cur faces in castra non tuli, quod debui facere? Cur non impleui focus flammis? Cur non natum patremque extinxi? et memet super ipsa dedi? Potest tamen et hoc possibilitatis esse. Ostendit enim se hoc facere potuisse, nisi demens fuisset et se propterea poenitere.

[13] 154. Praeterito plusquamperfecto subiunctiuo praeteritum imperfectum solent auctores coniungere, ut *fecissem, nisi impedires*, et econtrarius, *facerem nisi impedisses*. Et praesenti praesens uel praeterito uel futuro, ut *faciam, nisi impedias* et *nisi impedieris*, et *fecero nisi impedias*, et *nisi impedieris*.

[14] 155. Subiunctiuus per *possum* et infinitiuum uerbum potest exponi (Verg. *Aen.* 2, 600):

«Iam flammae tulerint inimicus et hauserit ensis»,

pro *poterant tulisse* et *poterat hausisse*. Oratius in *Arte Poetica* (47):

«Dixeris egregie»,

id est *poteris dicere*. Auctores tamen frequentissime confirmantes etiam tempore praeterito res perfectas subiunctiuus utuntur.

[15] 156. Subiunctiuus ad futuram cognitionem intelligitur, cum subiunctiua uel praeteriti temporis, quomodo optatiua, futuri uim habeant. Indeque Cicero in *Verrinarum* principio (1, 1) *Ita sim, pro ita inueniar* uel *cognoscar*, cum et in ipsa significatione futuro indicatiui utantur auctores. Lucanus in primo (1, 30-31):

«Nec tu Pirrhe ferox nec tantis cladibus auctor
Plenus erit».

Erit dixit pro cognoscetur uel dicitur.

[16] 157. Causalis coniunctio *ut et quaecunque* pro ea ponuntur, omnibus temporibus subiunctiuo adiunguntur, et eis indicatiua et subiunctiua licet anteponi uel subiungi, *doceas ut proficias*, et *doceas ut proficias*, *docebas ut proficeres*, et *doceres ut proficeres*, et sic de temporibus aliis.

[17] 158. Indicans rem quae sit, indicatiuius utitur, subiunctiuus uero quod fieri debuit, magis ostendens suasoriae.

[18] 159. Imperatiua optatiuaque subiunctiuus, *ut* mediante similibusque coniunctionibus, adiungi possunt, ut *lege ut discas, utinam discas, ut doceas*.

[19] 160. Pro imperatiuis frequenter auctores subiunctiua ponunt. Terentius in *Andria* (305-306):

«Quaeso, edepol, Carine, quoniam non potest id fieri,
Quid uis, id uelis, quod possit».

Idem in *Phormione* (60-61):

«Desinas,

Sic est ingenium mulierum»,

pro *desine*.

[20] 161. Auctores subiunctiuus affirmatiue uel saepenumero usos fuisse lego. De quo Priscianus in 2^o minoris multa exempla subiungit.

[21] 162. Haec coniunctio *si* praeposita subiunctiuum subiunctiuo coniunxit. Cicero in *Praetura urbana* (2, 56, 148): «Quod si tanta pecunia columnis dealbari putassem, certe nunquam aedilitatem petissem».

[22] 163. Auctores quoque subiunctiuus temporibus omnibus pro optatiuo sunt usi. Poetaeque metri causa saepe indicatiuos pro subiunctiuus posuere, ut Oratius in 2^o *Carminum* (2, 17, 27-28):

«Me truncus illapsus crebro
Sustulerat nisi Faunus
Ictum dextra leuasset»,

sustulerat pro *sustulisset* posuit.

[23] 164. Infinitiuus est qui et personis et numeris deficit, unde et infinitiui nomen accepit, quod nec personas nec numeros definit, et uno modis ex antedictis eget, ut aliquid perfecte significet, ut *legere propero, legere propera, utinam legere properarem, cum legere properarem*, id quod Priscianus 8^o maioris, de uerbi modis exponens, in uersiculo *Inifinitiuus* asseuerat, de quo Priscianus idem in 2^o minoris, § *Itaque apud Graecos*, latius explicat, unde regulas frequentes elicio (cf. Prisc. 8, 43; 18, 48).

[24] 165 igitur regula est quod infinitiuus apud Graecos pro imperatiuo surrogatur, apud nos autem pro praeterito imperfecto, et apud nos et illos per eclipseos, id est defectionis, figuram, *gaudere* enim pro *gaudere* dicunt, et *iubeo* uel *uolo* uel *oro* subauditur, sic enim antiqui *gaudere iubeo* pro *gaude* proferebant. Terentius in *Adelphis* (460):

«Gaudere legionem plurimum iubeo»,

pro *gaude legio multum*. Sic et apud nos, cum sit imperfectum, *dicere coepi*, pro *dicebam*, *orare coepi*, pro *orabam*. Et per eclipsim huius uerbi *coepi* uerba infinita auctores proferre solent, ut Terentius in *Adelphis* (*And* 146-47):

«Ego illud sedulo

Negare factum»,

deest enim *coepi* uel *negare* pro *negabam* (2) Nec mirum infinita, quae modos ad omnes cognitionem habent, pro eorum quibusdam constitui, et maxime pro defectiuus, cum et ipsa defectiua sint. Imperatiuus enim quibusdam personis et temporibus quoque deficit, ut et praeteritum sibi actu ipso desit, eum nanque semiplenum notat. Infinita quoque numeris personisque deficient.

[25] 166. Alios modos pro aliis proferri ab auctoribus reperimus. Indicatiuos enim pro imperatiuis, ut Virgilius in *Bucolicis* (3, 59):

«Alternis dicetis; amant alterna Camenae»,
dicetis, pro *dicite* Virgilius III^o *Georgicorum* (4, 239-40):
«Si duram metuas hyemem parcesque futuro
Contusosque animos et res miserabere fractas»,
pro *parcito*, et *miserabere* pro *miserator*. Oratius in prima *Epistularum seruabis* pro *seruatq' uteris* pro *utitor*, *leges*
pro *legito*. Et poetae metri causa saepe subiunctiuorum loco indicatiuos locant, ut in 163 regula dictum
est (cf. supra 2, 42, 5, 2).

[26] Et imperatiuos pro optatiuis auctores subsistunt, ut (Verg. *Aen.* 1, 8)
«Musa mihi causa memora»,

et (*Buc.* 8, 63)

«Dicite Pierides».

Nec enim imperantes modo, sed etiam orantes imperatiuis solemus uti, ut in 146 regula, uersiculo
Imperatiuus autem est, fuit expositum.

[27] Item contra optatiui subiunctiuique pro imperatiuis collocantur. Terentius in *Eunucho* (884):
«At nihil tibi quicquam credo,
Desinas»,

pro *desine*. Et de subiunctiuus pro imperatiuis Terentium in *Andria* et *Phormione* uide, supra in 160 regula
fuit exaratum.

[28] Insuper infinitiuus apud Graecos pro imperatiuo reponitur, apud nos autem pro praeterito
imperfecto, et ita pro indicatiuo, et apud utrosque per figuram eclipseos, id est defectionis, ut in
proxime praecedenti regula plenius declarauimus. Vnde et Salustius in *Catilinario* (16, 4-ss.) sic eleganter ait,
ut et ego supra, inter illius exempla, sub § *Postquam textum Salustii*, uersiculo *Sed maxime*, refero: «Nam, ut
cuiusque studium ex aetate flagrabat, aliis scorta praebere, aliis canes atque equos mercari, postremo
neque sumptui neque modestiae parcere, dum illos obnoxios fidosque sibi faceret». (2) Et paulo post
sub uersiculo *Ni uirtus*, subiicit hoc modo (20, 1): «Nam postquam res publica in paucorum potentium
ius atque dicionem concessit, semper illis reges, tetarchae, uectigales esse, populique nationes stipendia
pendere». (3) Et infra, in uersiculo *Suo* (31, 2): «Suo quisque metu pericula metiri. Ad haec mulieres,
quibus rei publicae pro magnitudine belli timor incesserat, afflictae sese, manus supplices ad caelum
tendere, miserari paruos liberos, rogare deos, omnia pauere, superbia atque deliciis omissis, sibi
patriae diffidere». (4) Et infra, uersiculo *Ad haec maledicta* (32, 2): «Ad haec maledicta alia cum adderet,
obstrepere omnes hostem atque parricidam uocare». (5) Item T. Liuius *De bello punico* 2^o, libro VII, §
Triginta, uersiculo *Consules hortari* (27, 10, 1), quem supra, § *In VII libri principio*, uersiculo *Et infra, scilicet*
ante huius libri medium, commemoro, id confirmat: «Consules hortari et consolari senatum et dicere alias
colonias in fide atque officio pristino fore». (6) Tandem de his omnibus plene Priscianus 2^o minoris,
circa medium, § *Itaque apud Graecos*, plene scripsit, praeterea quae in VIII, de imperatiui temporibus
tractans, ait, et paulo post, de modis exponens, et 2^o minoris, circa medium, § *Indicatiuus*, quae omnia
supra, libro 2^o, § *Ego quoque in capitulo sequenti* usque ad § *Nec quisquam*, ubi tantae quasi digressionis tres
rationes assigno, plenissime dissero. (7) Quae etiam in meo *Elegantiarum breuiario*, libro I, capitulo 27, §
Idem Priscianus, et libro III, capitulo 32, in magna additione secundum Priscianum in § *Sciendum tamen* et
§ *Optatiua*, uersiculo *Et Graeci*, et § *Similiter indicatiuus*, et § *Imperatiua*, uersiculo *Pro imperatiuis*, et § finali
eodem modo tracto. Nec de his quisquam mirari uelit, cum et in uerbis apud auctores tempus pro
tempore poni legatur, unde sequens regula desumi potest (cf. supra 3, 12, 2; 3, 12, 3; 3, 12, 4; 3, 12, 5; 2,
42, 1-20; Prisc. 18, 48; 18, 76; Valla *Eleg.* 1, 26).

XXXV. De tempore posito pro tempore.

[1] 167 igitur regula sit tempus pro tempore ab auctoribus saepissime collocari. Nam et
Priscianus in VIII^o de temporum cognatione tractans ait hoc modo (18, 93): «Est quaedam cognatio
praesentis quidem temporis cum praeterito imperfecto et futuro, praeteriti uero cum plusquamperfecto.
Praesens tempus proprie dicitur cuius pars praeteriit, pars futura est». (2) Et infra: «Sciendum tamen
quod Romani praeterito perfecto non solum in re modo completa utuntur, sed etiam in re multo ante
perfecta. Et apud nos hoc idem praeteritum perfectum potest et modo et multo ante intelligi perfectum.
Et apud auctores hoc exemplis comprobatur. Euander enim apud Virgilium in VIII, de matre sua dicit
(*Aen.* 8, 340):

"Cecinit quae prima futuros
Aeneades magnos et nobilem Pallanteum",
cecinit dixit, pro cecinerat. Multo enim ante illam cecinisse intelligitur. Et ipse poeta ex sua persona (Aen. 1, 1-3):

"Troiae qui primus ab oris
Italiam fato profugus Lauiniaque uenit
Litora",
uenit posuit pro uenerat. Hic enim quoque multo ante intelligitur uenisse Aenean ad Italiam». (3) Et infra: «Hoc autem differt a plusquamperfecto, quod illud per se prolatum non eget aduerbio pridem, quod habet in se hoc naturaliter, nisi si uelimus explanandae quantitatis causa tempus addere, ante quot dies res fuerit uel annos. Nec licet illi plusquam perfecto modo nec nuper aduerbia adiungere. Praeteritum uero perfectum ad manifestandam significationem eget uel modo uel pridem aduerbiis, futurum ex praesenti nascitur, quippe cum praesens medium sit praeteriti imperfecti et futuri».

[2] Idem Priscianus in XI, ubi de temporibus sic ait nobiliter (11, 26): «Illud quoque sciendum, quod saepe et praesenti pro praeterito et praeterito pro praesenti utuntur auctores necessitatis causa, cum deficient et in -or desinentia praesenti et in -o terminantia praeterito. Praesentis tamen participium, quod et praeteritum imperfectum significat, solet coniungi uerbis praeteriti perfecti et plusquamperfecti et significationem eorundem temporum complere, quomodo uerba praesentis temporis si adiungantur participiis praeteriti praeteritum significant, ut *cenatus sum, cenatus es, cenatus est, pro cenauit, cenasti, cenauit*. Sic ergo si dicamus *cenans fui, fuisti, fuit* pro *cenauit, cenauisti, cenauit, cenans fueram, -eras, -rat, pro cenaueram, -ras, -rat*, potest accipi. Itaque quod deest latinitatis linguae naturaliter, completur iunctaque ratione.

[3] Idem in fine ipsius XI subiicit (11, 39): «Et quia superius diximus quod uerba actiua uel neutra carent praeteriti temporis participio, sicut et passiuia deficient in participiis instantis temporis, sed pro his substantiuo nomine et uerbo utimur, ut *qui amaui et qui amat*. Sciendum est quod antiqui in actiuis et neutris uerbis pro praeteriti temporis participio etiam instant tempore utebantur, *ueniens* dicentes, similiter *adueniens*. Virgilius in X^o (*Aen.* 10, 544):

"Cetulus adueniens Marsorum montibus umbro".

Terentius in *Phormione* (58-59):

"Offendi ad ueniens

Quicum uolebat,
et ut uolebam, collocatam filiam",
utrobique enim *adueniens* praeteritum significat. Stacius in I *Thebaidos* (1, 325):
"Et caligantes abrupto sole Micenas",
caligantes pro caligatas dixit».

[4] Idem Priscianus primo minoris ante finem quid simile scribit (17, 181): «Sciendum tamen quod licet participia uel uerba infinita sensu praeteriti imperfecti significantia coniungere etiam praeteritis perfectis et plusquamperfectis, ut *scribens profeci, uel profeceram*, id est cum in scribendo erat profeci uel profeceram, scribere uolui uel uolueram, id est incipere scriptionem uolui uel uolueram. Scimus enim quod praeteritum imperfectum inceptionem quidem rei significat, nondum tamen perfectionem, idque usus auctorum comprobatur».

[5] Petrus Heliae in XI^o, prope finem, praedicta confirmat, inter alia subiiciens: «Addit Priscianus quod antiqui in actiuis et neutris utebantur participiis praesentis temporis pro participiis praeteriti temporis, ut Stacius *caligantes* posuit pro *caligatas*». Haec etiam a Laurentio Vallensi libro I^o, capitulo XXXIII^o, ubi docetur praesens participium poni pro praeterito, et ubi in meo *Elegantiarum breuiario* commemorata a Prisciano decerpta coniunxi, corroborari possunt, unde regula sequens formari potest.

XXXVI. Auctores pro praeteriti participio praesens surrogare solent.

[1] 168. Auctores pro praeteriti participio praesens surrogare solent, nec solum Latini, qui praeteriti actiui carent participio, sed Graeci quoque, qui non egent. Cicero in *Bruto* (1, 1): «Cum e Cylicia decedens Rhodum uenissem». Non enim quis decedens applicat, magni enim inter uiae principium finemque interest. Secus, cum non deest huiusmodi participium, quale *proficiscor* est, unde *profectus* uenit: Nec enim dixisset *cum e Cylicia proficiscens*, sed *profectus*, ut idem *De officiis* libro III (3, 50):

«Vir bonus Alexandria profectus», nec tamen quod in decendo permittitur, id in omnibus uerbis permissum esse putes, ueluti si dixeris *cum amicos salutans, qui degerent Alexandriae, Rhodum uenisset*, dicere debuisses *amicis salutatis, recedens* enim tam diu recedere dicitur, quam diu ire contendit, donecque perueniat, quod non idem in salutando fit. Siquis tamen hoc saepius uti uelit, fecerit, sed temperate quidem. (2) Sed et participium praeteriti ponitur pro praesenti, ut Seruius primo *Georgicorum* exponit (1, 206): «Vectis his, scilicet qui uehantur», cuius significationis participium latinitas non habet. Haec in meo *Elegantiarum breuiario*, libro I, capitulo XXXIII, cum suo additamento reperies. (3) De participio uero temporis praeteriti a uerbo neutro contra naturam ueniente Priscianus in 9^o (9, 49), carta penultima, tractans, de uerbis participium praeteritum contra naturam habentibus, ut *prandeo, pransus, ceno, cenatus, iuro, iuratus, careo, cassus, pateo, passus, titubo, titubatus* similibusque docet. Et hoc in X^o (10, 20), carta V, confirmat adiiciens: «A *seneo* igitur non a *senesco* fit praeteritum *senui*. Salustius in I^o *Historiarum* (1, 95): "Ira belli desenuisset". Idem (*Hist.* 4, 64) etiam participium praeteriti temporis ex eo protulit, quamuis esset neutrale in *-ui*: "Omnes quibus aetas senecto corpore animus utilis erat". (4) Nec mirum cum in aliis quoque plurimis eiusdem significationis uerbis inueniantur ueteres praeteriti temporis participium proferentes, ut *prandeo, pransus, ceno, cenatus, placeo, placitus, mereo, meritus, pateo, passus, careo, cassus, potio, potus* pro *potatus, titubo* pro *titubatus, iuro* quoque *iuratus* tam in actiua quam in passiuua significatione inuenitur. Et haec quidem etiam iunioribus in usu manserunt. Illa uero absoluerunt *discedo, discessus*, id est qui discessit, similiter *intereo, interitus, occido, occisus*, sed eorum usus in hoc, qui erit scriptus de participio a nobis inuenies».

[2] Idem Priscianus in XI, carta 4, sic ait (11, 27): «A neutro passiuus *gauisu, gauissus, factu, factus*, a neutris uero paucis praeteritum nascitur, ut *cenatu, cenatus, pransu, pransus, placitu, placitus, nupto, nuptus*». Et paulo post ponit: A *potui, potus* et a *cassu, cassus*», ubi addit quod quibusdam hoc idem *cassus* magis nomen esse uidetur, ut *lassus*.

[3] 169. Non modo praeteriti temporis participium a uerbo neutro contra naturam uenit, ut in 9, 10, 11que Priscianus ait, retulique superius, sed et secundum eundem in XI^o (11, 4): «*Coepi* non habet praesens et futurum, nec participium, sed tantum praeteriti *coeptus*. Similiter *odi, noui, osus*, ex quo *perosus* et *exosus, notus*, Plautus in *Amphitruone* (900):

"Inimicus semper exosum obturiet".

Et uerbale tantum nomen ex eo pertulit idem Plautus in *Asinaria* (859):

"Madidum nihil in continentem atque osorem uxoris suae".

Et *memini, meminens*, quia *memini* tam praesentis quam praeteriti uim habet, quomodo *odi*, unde et *osus*, quo pro praesenti, et *meminens* pro praeterito licet accipere. Nam *nosco* praesens *noui, noscens* facit». (2) Idem Priscianus in eodem XI^o dicit post principium (11, 4): «Inueniuntur tamen pauca nomina etiam ablatiuum sequentia, ut *dignus illa re, mactus ubi tute*, accusatiuum figurate, ut *exosus bella, praescius futura*».

(3) *Doctrinale* praedicta confirmans in V capituli fine dicit (5, 949):

«Credo quod *exosus* uerbo careat atque *prorsus*».

Et in capitulo sequenti (6, 983-86):

«Bis duo sunt *odi, noui, coepi, meminique*

Quae retinent sensum praesentis praeterique

Quae formatur ab his, sensum pariter duplicabunt.

Datque *mementote, memini* dedit atque *memento*».

(4) *Catholicon* in *coepi, memini* odique confirmat, inueniens in *coepia*. «*Coepio, coepio, is, coepi, coepere, coeptum*, incipere, deriuatur a *cepi*, praeterito de *capio*, sed praeteritum huius uerbi et quae formantur a praeterito, adhuc retinentur et huius praeteritum quandoque pro praeterito. Et scribitur *coepi* defectiuum per *-oe* et *coeptus* ab eo descendens, sed *inceptus* ab *incipia*, per *-e* solam». Post ait: «*Odio, -is, odiui, oditum*, odio habere. Vnde propheta (*Psal.* 125, 5): "Odiui ecclesiam malignantium". Vnde *odi, odisti, odit* uerbum defectiuum in eodem sensu». (5) Et infra: «Et habet tantum praeteritum et ea quae formantur a praeterito. Accipitur tamen et in sensu praesentis et praeteriti, unde inuenitur copulatum cum temporis praesentis uerbo». (6) Et infra: «Ab *odio, -is, hic* et *haec odibilis*, et *hoc odibile* id est odio habitus uel habilis. Sed etiam hoc *odium, -ii*, id est inueterata inimicitia de ultione cogitans, unde *odiosus, -a, -um*, odio plenus, odio habitus, et quandoque sic dicitur odio habens. Et in eodem sensu dicitur *odioficus, -a, -um; odi isti*, neutrum est cum omnibus suis compositis, si qua habet et tertiae coniugationis, primamque producit. *Odio, -is* actiuum quartae coniugationis primam corripit, unde Oratius in *Epistolis* (1, 7, 2):

"Prodigus et stultus donando spernit et odit".

Item Ouidius *De arte amandi* (2, 147):

"Odimus accipitrem, quia uiuit semper in armis",
unde quidam actiuum fit *odit*, neutrum producitur *odit*». (7) Et infra, in *osor*: «*Odi*, *-sti osum*, quod licet non sit in frequenti usu, tamen hinc fit *osor*, *-oris*, id est oditor. Plautus in *Amphitrione* (900), scito illum
"Madidum et incontinentem atque osorem uxoris suae"».

(8) Secundum Hugutio, Papias autem dicit: «*Osor*, *-oris*, ab *odio* dictus, id est inimicus, qui alium odio habet». *Compraensorium* uero dicit: «*Osor*, *oris*, id est oditor». Tu omnes expositione tenere potes. Nam et Festus Pompeius ait (Fest. 231): «*Osorem* dixerunt, qui aliquem odisset». Idem *Catholicon* in *osus* ait: «*Odi*, *odisti* facit supinum *osum*, licet non sit in usu, unde *osus*, *-a*, *-um*, id est odiens, quod habet uim participii. Vnde constituitur cum accusatiuo ad modum participii, et idem est in compositis *exosus*, *-a*, *-um* et *perosus*, *-a*, *-um*, id est ualde uel perfecte odiens. Vnde *osus* uel *exosus* uel *perosus bella*, id est odiens. Vnde *exose* et *perose* aduerbia. Et scias quod nomina desinentia in *-osus* significant plenitudinem, unde *-osus* plena notat, *-bundus* simulat, *-bilis* optat». (9) Idem in *exosus* ait: «*Exosus*, *-a*, *-um*, id est ualde uel perfecte odiens, et construitur cum accusatiuo, ut *exosus bella*, id est ualde odiens, et componitur ex *ex* et *osus*. Vide in *osus*». Et secundum Papias: «*Exosus*, qui aliquid odit. *Odiosus* uero, qui oditur». Et in *perosus* ait: «*Perosus*, *-a*, *-um* in *-osus* uide et producit penultimam». *Compraensorium* uero dicit: «*Osus*, *-a*, *-um* habet uim participii odiens, unde et construitur cum accusatiuo ad modum participii *odiens*, unde *ose* aduerbium. *Exosus*, *-a*, *-um*, id est ualde et perfecte odiens, unde *exose* aduerbium. *Perosus* idem significat». (10) Verum Petrus Heliae obliuioni non tradatur, qui in XI^o, carta prima (= Reilly 598), dicit: «Pauca nomina construuntur cum accusatiuis, sed figurate, ut *exosus bella*. Ideo, scilicet figurate, quia *exosus* ponitur loco participii, ac si diceret *odiens bella*». Item, carta III (= Reilly 609), subiicit: «Quomodo tamen *odi*, licet sit praeteritum, pro praesenti etiam accipitur, ita quoque *osus*, unde *exosus* est compositum, et pro praesenti et pro praeterito ponitur. *Memini* tamen quamuis sit praeteritum, quia etiam praesens accipitur, facit inde participium *meminens*, quod pro praesenti et pro praeterito ponitur». (11) Verumenimvero quamuis Petrus Heliae inter Prisciani commentatores magna auctoritate sit, tamen in hoc, ut pro praeterito passiuae significationis *osus* accipiatur et *meminens*, nullatenus tenendum esse censerem, quippecum sibi, scilicet Petro Heliae, Prisciani textus, *Catholicon* et *Compraensorium* refragentur, nisi pro ipsius Petri Heliae defensione diceretur quod intellexerit *osus* pro praesenti et praeterito significationis actiuae accipiendum esse, ut *odi*, unde uenit, omnino sit simile. (12) Et hic intellectus per eum textum Plauti in *Amphitrione* (900) confirmatur inquitis:

«Inimicos semper osa sum obtuerier»,

et per Nonii Marcelli (Non. 148) sententia uel in *Alfonsina* relatam: «*Osa sum pro odi*, Plautus in *Amphitrione*:

"Inimicos semper osa sum obturier"».

Insuper Papias praeallegato facit: «*Exosus*, qui aliquid odit». (13) Nec impedimentum affert uerba in *-o* terminantia ut actiua neutraque participium praeteriti temporis non habere. Hoc enim in uerbis regularibus et completis locum habet. Secus in irregularibus et defectiuis est. Vel id regulariter aut ut plurimum locum habet, secus in non nullis etiam regularibus et completis. Et enim quaedam participia in uoce passiuae actionem significant, ut *circumspectus*, *consideratus*, *coniuratus*, *conspiratus*, *cautus*, *ignotus*, *argutus*, *falsus*, *contentus*, *tacitus*, *profusus*, *fluxus*, *scitus*, *discretus*, *complacitus*, *inueteratus*, *exoletus*, *adultus*, *defectus*, ut in regula sequenti docetur plenius». (14) Ad textum uerum Prisciani et ad *Catholicon* *Compraensorium*que responderi potest quod licet in eis dicatur *osus* pro praesenti sumatur, non tamen negatur quo minus et pro praeterito possit accipi. Quod et de *meminens* pro praeterito, ut et pro praesenti capiatur, dici potest. (15) De *notus*, *Catholicon*, *Compraensorium*que scribunt: «*A nosco*, *-is*, *notus*, *-a*, *-um*, id est cognitus, dicitur. Et *notior*, *notissimus* comparatur, unde *note*, *notius*, *notissime* aduerbia. Et hoc *noticia*, *-ae*, et producit *-no*-. Sed *notus* aspiratum corripit *-no*-, et *nothus*, *-ti*, et *notha*, *-ae* est qui uel quae natus uel nata est de nobili patre et ignobili matre, scilicet ex concubina. Et dicitur *nothus* per hoc, quia natus sit de *nota*, id est infamia. Huic contrarius est *spurius*, qui de ignobili patre et nobili matre natus est, et ab hoc quidam malus et sinister uentus dicitur, ut auster, qui pluuiosus est et a calore suo pisces in mari adulteratur et corrumpit, et corrumpit interdum aerem gignitque pestilentiam. (16) Item a *nothus* dicitur *nothus*, *-a*, *-um*, unde nomina in parte a Graecis distorta *notha* dicuntur, quia nobilem patrem, id est principium, scilicet graecismum, et ignobilem matrem, id est finem, scilicet latinitatem, habent. Sunt ergo latina nomina principium finemque latinum habentia, ut *albus*. Graeca quae graecum principium et finem retinent, ut *agios*. *Notha* uero, quae graecum principium sed finem latinum habent, ut *pater*. Ex affinitate tamen

principii *notha* quandoque graeca dicuntur, et hoc secundum Hugutio, secundum quem aspiratur, sed et Papias dicit *notus* pro cognitus, per *-t-* solam scribendum, *Nothus* uentus per *-h-*. (17) Et *Nothus* pro uento primam corripit. Vnde quidam:

«Perflat summa Nothus crebro mihi flamine notus» (*uersus incerti auctoris*).

Festus Pompeius ait (Fest. 174): «*Nothum* Graeci natum ex uxore illegitima dicunt, qui apud nos spurio patre natus dicitur». Seruius uero dicit: «*Notus*, amicus, carus, Virgilius VII^o *Aeneidos* (4, 304):

"Et notis compellat uocibus ultro".

(18) Tortellus scite sic inquit: "*Notum* cum *-t-* exili scribitur, uentus est meridionalis nebulosusque et humectus, et teste Gellio, graece *notus* latine dicitur *humor*. *Nothus* cum *-th-* aspirato scribitur, quemadmodum latine dicendum sit, teste Seruio super VII *Aeneidos*, non habetur. Vnde Virgilius in IX graecum uocabulum posuit, cum ait (*Aen* 9, 696-97):

'Et primum Antiphaten, is enim se primus agebat,
Thebana de matre nothum Sarpedonis alti'.

Et in VII^o (*Aen*. 7, 283):

'Supposita de matre nothos furata creauit'.

(19) De *notus* in *noui* nihil in *Catholicon* nec in *Compraensorio* repperi, sed duntaxat quae supra scripsi. In scriptura uero *notus* cum *-t-* exili pro uento potius Tortellum, litterarum graecarum indagatorem accerrimum, quam Hugutio, Papias et *Catholicon* sequendum puto. (20) Nicolaus tamen Perottus in sua *Grammatica*, capitulo de uerbis anomalis, in fine (fol. e5r.), de *memini* dicit: «Gerundis, supinis et participiis caret. Similiter declinantur *odi*, *odisti* *odit*, *noui*, *nouisti*, *nouit*, *coepi*, *coepisti* *coepit*». Idem paulo post, 4^o capitulo de participio, ante finem dicit: «Quae sunt, quae carent participiis praesentis temporis? *odi*, *noui*, *coepi*, *memini*, quia praesenti carent, quamuis ueteres *meminens* dixerint». Haec Perottus. Ideo quae de participiis horum quattuor uerborum defectiuorum diximus, secundum antiquos huius Perotti sententiam dictum esse debet intelligi.

[4] Super *mactus* primum Nonius Marcellus notandus est, sic inquiens (Non. 341): «*Mactare* est augere. Virgilius libro IX (*Aen*. 9, 641):

"Macte noua uirtute, puer".

Cicero *Tusculanarum* libro I (1, 40): "*Macte uirtute*", deinde per Actium, Lucilium, Turpilius, Pacuuium et Marcum Tullium de re publica corroborat». (2) Item *Catholicon* et *Compraensorium* attestantur: «*Mactus*, a *magis* aduerbio comparandi et *auctus* componitur *mactus*, *-a*, *-um*, id est magis auctus, id est plenus gloria, scilicet bonus, ualens. Inuenitur etiam *mactus* pro *mactatus*, et tunc deriuatur a *mactor*, *-aris*, sed nulla terminatio huius nominis *mactus*, *-a*, *-um* est in usu, nisi terminatio uocatiui, scilicet *macte*, qua terminatione utimur tam pro nominatiuo quam pro uocatiuo. (3) Nam et apud Stacium in 7^o uocatiuus pro nominatiuo ponitur (*Theb*. 7, 280-81):

"Macte animo iuuenis medios parat ire per enses.

Nudaque pro charis opponere pectora muris".

Hic enim uocatiuus pro nominatiuo surrogatur uel si dixeris proprie stare, post iuuenis comam faciens, et a secunda persona ad tertiam redibitur». (4) Ego tamen apud Liuium et Q. Curtium legi contrarium. Liuius enim libro 2^o *Ab urbe condita* (2, 12, 14), quem supra, libro 3^o, carta 218, § *In 4^o capitulo*, refero, sic ait: «Iuberem te macte uirtute esse, si pro mea patria ista uirtus staret». Q. Curtius dicit in 4^o (4, 1, 8): «Admiratus Ephestion magnitudine animi spernentis, quod alii per ferrum ignesque peterent. Vos quidem -inquit- macti uirtute estote, qui primi intellexistis quanto magis esset regnum fastidire quam accipere. (5) Nicolaus tamen Perottus, in capitulo de etheroclitis (fol. e7u.), ait: «*Macte* in uocatiuo tantum inuenitur, componitur tamen *macte uirtute esto*». Itaque *macte* in usu in nominatiuo fere semper reperitur, *fere dixi*, quia quandoque sed perraro pro nominatiuo uel accusatiuo surrogatur, et *macti* in nominatiuo plurali apud Q. Curtium legitur.

[5] Tandem de *praescius* *Catholicon* inquit: «*Praescius*, *is*, *iui*, *ire* id est ante scire. Vnde *praescius*, *-a*, *-um*, et tam cum genitiuo quam cum accusatiuo construitur, ut *praescius huius rei* et *praescius hanc rem*». *Compraensorium* uero dicit: «*Praescius* est praeuisor et praesciens futuro, et construitur cum accusatiuo sed figurate, ut *praescius*, id est praesciens, ut *osus* id est odiens». (2) Nec mirum, quod diximus cuiquam esse debet. Nam et participium pro nomine reperimus. Seruius enim in III^o *Georgicorum* ait: «*Inlauditi* participium est pro nomine, ut sit illaudibilis, non quia laudatus non sit, sed qui laudari non meruerit, ut est illud in VII^o *Aeneidos* (7, 11):

"Diues inaccessos ubi solis filia lucos",

pro *inaccessibiles*, non ad quos nullus accessit, sed ad quos nullus accedere debeat». Et haec in additis meo *Elegantiarum breuiario*, libro I, in principio capituli XXXII et in fine capituli XXXVI reperies (cf. Valla *Eleg.* 1, 29; 1, 34).

[6] 170. Participa quaedam in passiuo uoce actionem, in actiuo passionem notant: *circumspectus*, *consideratus*, *coniuratus*, *conspiratus*, *disertus*, *cautus*, *tutus*, *ignotus*, *argutus*, *falsus*, *contentus*, *tacitus*, *profusus*, *fluxus*, *scitus* et *discretus*, quo non nulli utuntur. *Circumspectus* est non qui circumspicitur, quem solemus appellare conspicuum, sed qui circumspicit, et in omnem partem iam more spectat, hoc est prudens et sagax. *Consideratus inconsideratusque*, qui agenda considerat aut secus, non qui consideratur aut non consideratur. *Coniuratus*, qui simul cum alio iurauit et *coniurati* a *coniura* sicut *iurati* et *iniuriati* a *iura*. (2) Cicero *De officiis*, in 3^o (3, 107): «Si praedonibus pactum pro capite precium non attuleris, nulla fraus est, ne si iuratus quidem non feceris». Et in eodem loco: «Actius:

"Iurauit lingua, mentem iniuratum fero"» (*Iurauit lingua...*, apud Accium non inueni; apud Ciceronem *Off.* 3, 106 legitur 'Euripides' non 'Accius').

Idem Cicero II^o *Ad Herennium* (2, 41): «Ait se non potuisset adesse ita ut iuratus fuerat». Et si e *coniuro coniurati* dicuntur, id est qui coniurarunt, non mireris *conspiratos* a *conspiro* fieri, qui conspirarunt, dicti, ut *conspirantes*, qui conspirant. (3) Quod autem sic non modo grammaticae sed etiam latine dici possit, testis est Suetonius in *Vita Caesaris* (82, 1): «Assidentem conspirati specie officii circumsteterunt». Et in *Neronis* (*Nerv.* 43, 1): «Successores percussorum summittere exercitus et prouincias regentibus quasi conspiratis». Et in *Galbae* (19, 2): «Sed extractis rumoribus falsis, quos conspirati, ut cum in publicum elicerent, de industria dissiparant». Et in *Domiciani* (17, 1): «Cunctantibus conspiratis». De hoc plene per eundem Laurentium libro I *Antidoti*, super textu *Ideoque inter ipsos regnum est*, et paulo post in uersiculo *Iuratus* uide. (4) *Disertus* qui probe disserit. *Cautus* qui scit sibi cauere, nonnunquam res, cui cauetur, ut *Pro Cecinna* Cicero (*Caec.* 11): «Quo res mulieri esset cautior». *Tutus portus*, *tuta urbs*, quod tueatur alios. Tamen saepe in hominibus passiuo reperitur, ut *tutus sum ab hostibus*, *quod munitus et sine periculo sim*. *Ignotus* etiam saepe actiuo. Quintilianus (*Decl.* 6, 2): «Ne quis tamen erret ignotus» pro ignorans. (5) *Argutus*, qui acuta quaedam et accurata est solertia, quasi acute arguens et inuestigans. Item secundum Seruium in VII *Bucolicorum* Virgilii eglōga (7, 1), in principio: «Argutus est canoris et stridulus, alibi breue significat, ut *argutumque caput*». Insuper Priscianus in X (10, 12), ubi de supinis in -uo- diuisionis ait: «Argui, *argutum*, unde et participium *argutus*, id est conuictus. Plautus in *Pseudolo* (745):

"Argutus malorum facinorum".

Et futurum *arguturus*, et deriuato ex hoc uerbo *arguto*, -aris. Inuenitur tamen etiam in usu *arguturus* pro *arguturus*. Salustius in 2^o *Historiarum* (2, 57): "Quos aduersum multi ex Bithinia uolentes occurrere falsum filium arguturi". Plautus iterum in *Pseudolo* (745) de sicophanta:

"Et quid argutus es?",

pro *conuictus*. *Sicophanta*, uanus criminator.

(6) *Falsus* actiuo passiuo est qui fallit et aliquando qui deceptus est. Salustius (*Iug.* 10, 2): «Nec ea res me falsum habuit». *Contentus*, qui continet quod animo satisfacit. *Tacitus*, qui tacet, id est taciturnus, quasi dicens homo taciturnus. Virgilius tamen passiuo posuit (*Aen.* 6, 841):

«Quis te, magne Cato, tacitum aut quis, Cosse, relinquat?».

(7) *Profusus* et *fluxus* actiuo apud Salustium (*Cat.* 5, 4): «Alieni appetens, sui profusus», quasi profusor, nam diuiciarum et formae gloria fluxa et fragilis habetur. Vnde de *profusus* Priscianus 2^o minoris, § *Similiter patiens*, uersiculo *Salustius*, carta quarta, dicit (18, 20): «Attende uoce passiuo *profusus*, quia magis actum significat, genitiuo est coniuictum». *Scitus*, qui sciens et argutus est, et apud Terentium passiuo accipitur (*And.* 486):

«Scitus puer»,

quasi scite et docte factus. *Discretus*, qui qualitates personarum et rerum momenta discernit, non qui discernitur. *Complacitus* ab actiuo uoce, sicut *fluxus*, uenit habetque significationem nec actiuam plane nec passiuam, sicut *fluxus* et *inueteratus*, quod et ipsum ab actiuo uoce *inueterasco* descendit, cum neutralis uerbi et actiuo uox una sit, sicut passiuo, communis deponentisque. (8) Cui simile est a *iuro iuratus*. *Iuratus* enim *iudices* dicimus qui iurarunt. Nam, Prisciano teste (18, 24), ut dictum est, *iuratus* tam actiuo quam passiuo profertur, quippe etiam uerbum ipsum Lucanus in V^o (5, 396) protulit:

«Et laetae iurantur oues bufonae sinistro»,

Stadius etiam in VII^o (*Theb.* 7, 103):

«Captiuus etiam iurauerat ius coniurato»,

Virgilius in 2^o *Georgicorum* (2, 497):

«Aut coniurato descendens Dacus ab Istro».

Et

«Excretos aedos»,

apud Virgilium (*Georg* 3, 398), ab *exresco*. Liuius libro VIII^o *De bello Punico 2^o*, § *Tum Saguntinorum legatos in senatum intorduxit*, ait (28, 39, 11): «Cum plurimas hostium nostrorum coepisset in Hispania urbes, ubique ex captorum numero excretos Saguntinos in patriam remisit». (9) *Exoletus* ab *exolesco* dicimus, quod dum est substantiuum, significat scortum masculum et praecipue iam adultum, dum est adiectiuum significat adultum, sed raro reperitur, ut apud Plautum (*Par. Med. Fr.* 4, 1)

«Reliqui domi exoletans uirginem».

Adultus ab *adolesco*. *Defectus* quasi qui defiat.

[7] Et haec quidem in passiuua uoce significationis sunt actiuuae. Passiuuae pauciora in actiuua. *Euidens negocium* dicitur quod aperte uidetur et intelligitur, non quod uidet et intelligit. *Indulgentior facies* apud Quinilianum pro *pulchra* non quae aliis indulgeat, sed cui alii indulgeant. (2) Insuper *honorificentissimos, magnificentissimos, munificentissimos Ludos* cum dicimus, in participio praesentis temporis uidemur significare passionem. Ab *honorificens* enim, *magnificens, munificens* ueniunt, licet *fiens* pro *faciens* dicatur. Vel certe a *magnificus, munificus, honorificus*, quae a *facio* componuntur, quod est actiuuum. Et tamen ita accipiuntur quasi *honorifice, magnifice, munifice facti*, non autem *facientes*. Sed causa est quod haec ipsa a *facio* composita tam actiuuae quam passiuuae significant, siquidem *hominem magnificum* et *opus magnificum* uocamus. Illum quidem *magnanimitatem facientem*, hoc uero *factum magnanimitatem*.

[8] Pro hac alternatione confirmanda uarietateque qua regulas communes inuenta Priscianus in VIII^o facit, sic inquit (8, 15): «Ex deponentibus multa uerba antiqui tam actiuua quam passiuua significatione protulisse inuenitur. Et maxime ea quae apud Graecos actiuua habent et passiuua, *auxilior te, a te* Similiter *adminiculator, auguror, adhortor, auspicator, adipiscor, abominor, consequor, amplector, adorior, abutor, miror, attestor, antestor, aggredior, aspernior, architector, assector, argumentor* et multa alia. Ideo quia frequens usus eorum significationis est actiuuae, communia uero esse defendit cum natura ipsius sensus, tum ueterum non probanda auctoritas». (2) Et infra: «Lucius Caesar, certe quae res augurantur. Cuius actiuuum Virgilius in VIII (*Aen.* 7, 237):

"Siquid ueri mens augurat opto".

Cicero in *Oeconomico* (fr. 2): "Homo ex eo numero hominum qui apud nos hoc nomine dignantur". Passiuue Horatius *Carminum* libro I (1, 1, 24-25):

"Bellaque matribus

Detestata sunt".

Similiter protulerunt tam in actiuua quam passiuua significatione *tutor, uador, uenor, uelificor, uociferor, ueneror, confiteor, tueor, aggredior, stipulor*. In quo illud quoque est obseruandum, quod actiuua significatione quomodo passiuua ablatiuo coniungitur, *stipulor a te*, pro *interrogo te*, et *iterum rogor a te*, quomodo dicimus *quaero a te*, pro *interrogo te*, quamuis sit actiuuum». (3) Idem Priscianus 2^o minoris, ante finem, § *Absolutis*, ait (18, 149): «*Interrogo te*, rogo, stipulo. Inuenitur etiam passiuua significatione dictum, *stipulor a te*, pro *interrogor abs te*. Idem Priscianus in eodem § tractat de deponentibus passiuuis, posthac de actiuuis pro passiuuis, deinceps de passiuuis pro actiuuis. Ad hoc de his quae apud ueteres in *-o* terminantur, nunc uero in *-a* et econtrarius, ut de his quae apud ueteres in *-or* terminabantur, pro actiuua uel neutrali uoce. Insuper de his quae actiuua et passiuua uoce unam significationem habent. Tandem de his quae in compositione significationem genusque permutant. Quae plene in meo *Elegantiarum breuiario*, libro I^o, capitulo IIII^o, in fine reperies explanata. (4) Ad haec magis confirmanda potest aduci quod Priscianus libro XI, carta VI, de significationibus agens, inquit (11, 29): «Multa ex uerbis deponentibus inueniuntur apud antiquissimos participia praeteriti temporis, tam actiuua quam passiuua significatione habentia, ut *meditor, meditatus*. Terentius in *Phormione* (248):

"Meditata sunt mihi omnia incommoda mea".

Auxilior, auxiliatus. Sed sciendum quod uerbis quanque plurimis, quae nunc in usu deponentia sunt, ueteres sic omnibus usi sunt. De quibus libro VIII^o docuimus». (5) Vnde Ioannes de Balbis in 3^a parte sui *Catholicon*, capitulo *De participiis*, circa finem (3, 104), ait: «Inueniuntur apud antiquissimos participia praeteriti temporis, tam antiquam quam passiuam significationem habentia, ut *meditor, -aris*. Sed sciendum quod uerbis quoque plurimis quae in usu nunc deponentia sunt, ueteres quasi communibus usi sunt. (6) Idem dicendum quando inuenitur participium deponentis terminatum in *-dus*,

ut *sequendus*, quia a communi olim uenit uel in actiua significatione debet exponi, ut in *loquor* dicam, non sicut *loquendus* exponitur, id est dignus ut de eo loquantur homines, sic *sequendus*, id est dignus ut homines sequantur eum». (7) Vlpianus in *l. Quid ergo, § Quantum, ff. De his q. no. inf.* (D. 3, 2, 13), praedicta uerba reddit, sic inquit: «Quantum ad infamiam pertinet, multum interest in causa quae agebatur, causa cognita, aliquid pronuntiatum ait, an quaedam extrinsecus sint elocuta, nam ex his infamia non irrogatur».

[9] Nec hic praetermittendum reor quod Nicolaus Perottus in capitulo *De participio* (fol. e7r.) praeter multa alia dicit hoc modo: «Quae sunt quae in formandis participiis duplicare uidentur supina? *ortus, oriturus, mortuus, moriturus, partus, partituros, natus, nasciturus, rutilus, ruiturus, fructus, fruiturus, ignotus, ignosciturus, lauo, lauturus* uel *loturus*, Ouidius tamen dixit *lauaturus* (*Fast.* 3, 12):

"Sacra lauaturas mane posebat aquas".

(2) Omnia uerba quae carent supinis carent participis quae descendunt ab eis. Quae sunt uerba quae carent supinis? Omnia monetatiua, inchoatiua, impersonalia et pleraque in *-uo* diuisas syllabas et neutra secundae coniugationis facientis praeteritum in *-ui* diuisas. Praeterea quaecumque carent praeterito, ut *ambigo, scando, nideo, uergo, arceo, mando, mandis, strideo*. (3) Similiter *glisco, sisto, ferio, uescor, medeor, reminiscor*. Et infra: «Quot sunt participia quae duplicato supino dupliciter offerunt? *Salitus et salsus, soniturus et sonaturus, altus et alitus, astitum et astatum, praestitum et praestatum*».

XXXVII. De participiis in nomina transeuntibus.

[1] Participia in *-ens* terminata secundum 171 regulam quandoque in nomina substantiua transeunt, quorum quaedam generis masculini sunt, ut *oriens, occidens, profulens*, pro flumine, et *confluens*, quo duo flumina conueniunt. Quaedam feminini, *continens* pro terra quae non est insula, ut de Sicilia ad continentem intercapedinis parum est. Ideo Vlpianus *l. Notionem, § Continens, ff. De uer. sig.*, sic eleganter ait (D. 50, 16, 99, 1): «Continentes prouincias accipere debemus eas, quae Italia coniunctae sunt, ut puta Gallia et Prouincia. Sicilia magis inter continentes accipere nos oportet, quae modico freto ab Italia diuiditur». (2) Item *animans* generis quoque feminini reperitur. Non nunquam tamen et in neutro genere, sed in plurali magis. Insuper *consonans* pro littera non uocali sed cum ipsa uocali sonante. Denique *praegnans* a *praegno*, quod est *grauido*, unde et *praegnans* participium uenire potest, licet Laurentius Vallensis dicat (*Eleg.* 1, 33): «*Praegnans* unde fit participium nescio», quod Nicolaus Perottus sequitur (*Rudimenta* fol. e6r.). Est generis feminini, sed *praegnans* est quae concepit. Grauida est quae utero grauis partui est proxima, secundum *Catholicon Compraensorium*que. (3) Quaedam generis sunt neutri, ut *accidens, contingens, antecedens, consequens, decens, conueniens, praesens*. *Continens* apud rhetores pro rationis firmamento. De his post Laurentium in meo *Elegantiarum breuiario*, libro I, capitulo XXXV, dico, et de expositis in his duabus ultimis regulis Nicolaus Perottus in capitulo *De participio*, plene refertur. Et circa *accidens* secundum grammaticos, ut et ibi notauit, sciendum est auctoritate Petri Heliae in XV, de significatione tranctantis accidentia, partibus orationis dicuntur eius conuenientia prout, cum aliis construi conuenienter habent. Aduerbium nanque praeteriti temporis, ut *heri*, cum praeterito uerbo non cum futuro uel praesenti construitur. Non enim dicitur *heri legam* uel *lego*, sed *heri legi*. Aduerbium quoque futuri temporis, ut *cras*, non cum uerbo temporis praeteriti uel praesentis, sed futuri tantum construi flagitat. Itaque secundum significationum diuersitatem uariatur aduerbiorum constructio. (4) *Accidens* autem secundum logicos, testante Porfirio (cf. Arist. *Categ.* 12, 25 – Minio Paluello, vol. 1, 6-7, p. 20-; Porf. et Petr. Hisp. *ibid.*): «Est unum de quinque praedicabilibus et postremum, et est id quod adest et abest, praeter substantiui corruptionem. Diuiditur autem in duo: in separabile et inseparabile. Nanque dormire separabile accidens est, nigrum uero omnino coruo et Aethiopi inseparabiliter accidit. Potest autem subintelligi et coruus albus et Aethiops nitens candore praeter substantiui corruptionem. Diffinitur autem et sic: *Accidens* est quod contingit eidem inesse et non inesse. Vel quod neque genus neque species neque differentia neque proprium est. Semper autem in substantiuo subsistens». (5) Petrus Hispanus in suis *Praedicabilibus* haec refert et confirmat adiiciens: «Quod de his duabus ultimis paenultima sit melior, quia ad intelligenda postremam necesse est praescire quid sit genus, quid species, quid differentia, quid proprium. Penultima uero finita est ad cognoscendum, quid per eam importatur». Et infra: «Et licet nigrum inseparabiliter accidat Aethiopi et coruo, non tamen hoc est contra diffinitionem qua dicitur quod potest adesse et abesse praeter substantiui corruptionem, quia, ut dicit Porfirius, potest coruus intelligi albus et Aethiops nitens candore praeter substantiui corruptionem». (6)

Augustinus item antedictam diffinitionem confirmans, ait: «Accidens est cuius praesentia substantiarum non constituit nec eius absentia destruit. Sciendum igitur accidens significare multa: primo id quod contra substantiam distinguitur, id est quod non est ipsa substantia. Secundo modo id quod est extraneum, et ita caputium est homini extraneum. Tertio id quod est praeter alicuius intentionem agentis. Quarto, ut contra principium uel risibile distinguitur. Quinto, ut est demonstrabile et sic ipsum proprium est accidens. Sexto est abstractum alicuius additi. Septimo est accidens medii. Octauo est id quod per inherentiam concretive ad ipsum accidens se habet».

[2] 172. Participia quoque praeteriti temporis non nunquam in nomina transeunt adiectiua, quae nomina participalia seu uerbalia sunt dicenda. Priscianus enim circa finem quarti dicit (4, 39): «In *-ctus, -ptus, -xus* participalia siue uerbalia inueniuntur. *Amictus, sanctus, acceptus, sumptus, apertus, captus, raptus, luxus, laxis, flexus, fluxus, nexus*, haec omnia cum non significant tempus, nomina sunt». Et ad hoc faciunt quae in 170 regula, quo ad primam partem sunt exposita.

[3] 173. Multa sunt participia quae praeter compositionem transeunt in nomina, ut *doctificus, iusiurandum, iurisiurandi, iurisconsultus* et similia. Quae nomina formam participiorum habentia dici possunt. Vnde Priscianus in VIII, ubi de figuris uerborum docet, circa finem, sic inquit (8, 90): «Non possunt participia componi, nisi per nominatiuum casum, quippe cum sint cognata uerbis, quae uim nominatiui possident. Ergo *doctificus*, id est doctum faciens, in uim nominum transtulit participia, sicut *iusiurandum, iurisiurandi, iurisconsultus, iurisperitus, senatusdecretum, senatusconsultum, plebiscitum, praefectusurbis, praefectusfabrum*».

[4] 174. Quaecumque sine uerbis formam participiorum habent, temporali significatione carent et nomina sunt dicenda, ut *penulatus, togatus, scutatus* et similia.

[5] 175. Multa forma participiorum habentia nomina et participia esse possunt. Nomina sane, cum habitum, non passionem, non tempus significant, ut *armatus*, ab armis habendis est nomen, sed tum participium cum a uerbo *armor* passiuo descendit, praeteritum tempus significans. Ad harum duarum postremarum regularum confirmationem, Priscianus in proxime dicto octauo loco potest adduci, sic inquit (8, 90): «Et sciendum quod participia sine uerbis esse non possunt. Siqua igitur uideantur sine uerbis formam habere participiorum, nomina sunt dicenda, et carent temporali significatione, ut *penulatus, togatus, scutatus, galeatus, hastatus, palliatus, caligatus* et his similia. (2) Sunt tamen quaedam huiusmodi quae et nomina et participia esse possunt. Nomina quidem cum ipsum habitum significant, non passionem, non tempus, ut *armatus* ab armis habendis nomen est. Cum uero a uerbo *armor* passiuo nascitur, et praeteritum tempus significat, *armatus* sine dubio participium est. (3) Ex omni fere habitu huiusmodi nomina inueniuntur apud Latinos, ut a capillo intonso *capillatus*, a coma *comatus*, a cirra¹ *cirratus*, a auribus *auritus*, a naso *nasutus*, a tunica *tunicatus*, a lacerna² *lacernatus*, a purpura *purpuratus*, a brachiis *brachiatus*, a pallio *palliatus*, a praetexta³ *praetextatus*, a taberna *tabernatus*, a manicis *manicatus*, a paludamento *paludatus* uel *paludamentatus*, a stola *stolatus*, a lorica *loricatus*, a pictura *picturatus*, a scuto *scutatus*, a tabula *tabulatus*, a pilo *pilatus*, a gladio *gladius*, ex quo *gladiator*, a stella *stellatus*, a pelle *pellitus*, a

¹ Glossa: Cirra est crinis uel potius crinium siue capillorum plicatura, a *cirrin*, quod est *tondere* et inde *cirratus*, id est crinitus, secundum *Catholicon* et *Compraensorium*.

² Glossa: *Lacerna*, *-nae*, feminini generis, dicitur a *lacro*, *-as*. Et est lacerna pallium fimbriatum, quo olim soli milites utebantur. Et dicitur lacerna quia sit laceratis, id est amputatis capitibus fimbriatum, uel dicitur *lacerna* a *lacro* et *cerno*, *-nis*, unde *lacernatus*, id est illo pallio indutus, secundum *Catholicon* et alios.

³ Glossa: Praetexta secundum Nonium (5541) est insigne Romanorum, quod supra tunicas honorati quisque sumunt. Tullius *De suppliciis* (2, 5, 36): «Sententiae dicendae locum, togam praetextam, sellam curulem, magis ad memoriam posteritatemque prodendam». *Praetexta* secundum *Catholicon*: «A *praetexo*, *-is*, quod est prae aliis uel ante texere. Dicitur *haec praetexta*, *-tae*, quaedam uestis nobilium Romanorum, et dicitur sic quia praetexebatur ei qui ea utebatur, et hac ueste utebantur pueri nobiles usque ad XV annos, sub disciplina. Postea utebantur uirili toga, unde *praetextus*, *-a, -um* uel *praetextatus*, *-a, -um*, praetexta indutus uel ornatus. Et *haec praetexta*, *-tae* uel *praetextata*, *-tae*, scilicet comoedia de factis nobilium, sed a Latinis condita, quae nullius momenti erat». Oratius: «Vel qui praetextas uel qui docuere togatas», secundum Hugutio. Papias uero dicit quod dicebatur *praetexta* quia praetexebatur. Est latior purpurae. Ioannes Raimundus Ferrarii.

dentibus *dentatus*, a barba *barbatus*, a pluma *plumatus*, a balano *balanatus*, a gemma *gemmatas*, a rostro *rostratus*, a ferro *ferratus*. Ex aliis quoque nominibus inueniuntur, sed non adeo multa, ut a Cerere *ceritus*, a lympha⁴ *lymphatus* et *lymphaticus*. (4) Nec incongruum uel absonum mihi uidetur posse quoque uerba ex his ipsis ad similitudinem eorum quibus usa est auctoritas proferre. Quid enim impedit nos quoque aliquid copiae ad opulentiam latinae conferre eloquentiae? Et ad imitationem *armo* et *armor* et *armatus* dicere *tunico* et *tunicor* et *tunicatus*; et ut *robor*, *roboror*, *roboratus*, *aero*, *aeror*, *aeratus*, *ferro*, *ferror*, *ferratus*, *plumbo* et *plumbor*, *plumbatus*; et ut *uestio*, *uestior*, *uestituts*, *togo* et *togor*, *togatus*. Si enim auctoribus timiditas obstitisset, ut nullis nouis utentur dictionibus, ipsa natura et significatione rerum cogente, perpetuus latinitas angustiis damanta mansisset». (5) Idem Priscianus in III^o, circa finem, praedicta confirmat adiciens hoc modo (4, 38): «Sciendum quod nomina participialia uel denominatiua, si a primae declinationis nominibus deriuantur, -a- habent productam penultimam, ut *barbatus*, *stellatus*, *trabeatus*, *purpuratus*. Sin a secundae uel tertiae in quibusdam -a- in aliis -i- habent productam, ut *pallium palliatus*, *anulus anulatus*. Excipitur *manuleatus*, id est *manicatus* quod quamuis -a- penultimam productam habet, tamen a nomine quartae declinationis descendit *manus*, *manuleatus*, *gratus* uel *gratae gratus*, *auitus*, *maritus*, *ceritus* ab *auo*, a *mare*, a *Cerere*. Excipiuntur *uetustus* et *libertus*, in quibus nominatiui primitiuorum -us assumpserunt. (6) A quartae declinationis nominibus deriuata -u- producta habent ante -tus, ut *cornutus*, *uerutus*, *astutus*, *uersutus*». Et circa huius quarti de *ceritus* Petrus Heliae dicit: «*Ceritus* dicitur insanus, et a *Cerere* ideo, quia sacerdotes cum solebant sacrificare Cereri solebant insanire». Idem Priscianus in XI^o, carta 5 (11, 22), tractans de nominibus similibus participiis, hanc materiam clariorem facit, ubi et in § *Sunt quaedam*, sic ait: «Quaedam enim primae coniugationis participiorum formam obtinent, id est in -atus desinentia, quaedam uero tertia, id est in -itus uel in -utus terminata». De his uide quod ex Prisciano 8^o XI^oque maioris desumptum addidi meo *Elegantiarum breuiario*, libro I, capitulo penultimo (cf. Valla *Eleg.* 1, 30).

[6] 176. Participium actiuum futuri temporis, ut passiuum eiusdem temporis, *amandus* dignus amari, in nomen transit. Seneca *De naturalibus quaestionibus* (7, 3, 3): «Nullam autem mentionem fecit cometarum non praetermissuru siquid explorati apud illos comperisset», *praetermissurus* dixit pro eo quod est talis qui praetermitteret, nec tempus innuit, sed hominis qualitatem atque animi uoluntatem. Quintilianus in XI^o (11, 2): «Profecto non taciturus de tanta sua gloria». Sic Laurentius Vallensis et ego, libro I, capitulo penultimo dicimus. Qui de *repetundis* et *repetendis*, sic in capitulo sequenti finalique docemus, unde 177 regula sumitur.

[7] 177 igitur est. *Repetundarum* et *De pecunis repetundis* alios casus non habet, et dubitari potest participiumne sit an nomen an gerundium. *Verres accusatus est repetundarum* uel *de repetundis pecuniis*. Cum *repetundarum* dico, *pecuniarum* subintellego, quomodo nomine *pecunia* omnia quibus diuiciae constant dicimus contineri. Haec accusatio proprie in eos cadit qui cum forent magistratus prouincialibus aut ui aut dolo eripuerunt pecunias, ut uasa praeciosa, uestem, frumentum, nauigia, nummos, quae omnia *pecuniae* nomine compraenduntur. (2) -E- autem in -u- mutatur, cum *repetendarum* erat dicendum, ut differat ab illo quod dicitur *ad res repetendas*, ut *sunt missi legati ad res repetendas*, quando principi aut populo erepta sunt pecora, agri, homines aut similia. Sed tertia coniugatio praeter ceteras hoc auris habet, ut hanc litteram immutare possit, sicut accusatiuo tertiae declinationis plurali uocalem eandem in -i mutare licet, sed in his duntaxat nominibus, quorum genitiuus in -ium pluralis exit, ut Seruio placet. Priscianus enim in VII^o (7, 75) plura praecepta super hoc assignat. Salustius inicio *Catilinarium* (1, 1): «Omnis homines qui sese student praestare ceteris animalibus, summa ope niti decet, ne uitam silentio transeant».

XXXVIII. De alleotheta.

[1] 178. Non solum in modis et uerborum temporibus et participiis temporibusque eorum multae mutationes sunt, ut fuerit superius explanatum, sed et per alleotheta diuersi numeri, genera, casus, tempora, personae, species, figurae construuntur. Et aliae orationis partes pro aliis collocantur. Insuper praepositiones, coniunctiones et aduerbia inter se et in se ipsis uariantur, ut Priscianus primo minoris, § *Illud tamen sciendum*, exponit plenissime, et supra, libro III^o, inter Salustii exempla, § *Cum autem hic Salustius* usque ad § *Salustius igitur in Iugurtino*, ad uerbum refero copiose, ubi in uersiculo *Diuersa*

⁴ Glossa: A *lympha lymphatus* et *lymphaticus*.

tempora potissimum pernotetur: «Et sciendum quod tam poetae quam prosarum scriptores frequenter praesentibus utuntur, tam pro praeteritis quam pro futuris. (2) Contrarium autem perraro, ut Terentius in *Andria* (504):

"Siquid narrare occepi, continuo tibi dari
Verba censes",

occepi pro *ocipio* uel *occipiam*. Idem in *Phormione* (620):

"Cur non inquam, Phormio, uides inter nos",

inquam pro *inquit* dixit, quod est in raro usu. Sic etiam solent plerunque ponere *inquam*, quod est futuri, loco praeteriti uel praesentis accipientes». (3) Et ad hoc confirmandum *Doctrinale* in capitulo XII^o (12, 2.601-603) potest adduci quoque:

«Saepius audiui tempus pro tempore poni.

Ludere ludebat dicendo, *uocare uocabat*.

Inque prophetiis mutantur tempora sacris»,

et ibi glosatores cum scriptis a me ibi uideantur. Temepestiuum est ut ad materiam XXXII capituli libri tertii *De elegantis* redeamus, posteaquam ibi addita in meo *Elegantiarum breuiario* in principio per regulas et cum augmento declarauimus accurate (cf. supra 3, 13, 5; Prisc. 17, 155; Valla *Eleg* 3, 28).

XXXIX. De quattuor iubendi modis.

[1] 179 igitur regula est quod iniubendo his quattuor pene indifferenter utimur: *ama*, *amato*, *amabis*, *ames*. Horum sed tantum uno in negando, *ne uenias* uel *ne ames*, et altero quo non utimur affirmando *ne amaueris*, quod plene refero libro 2^o, § *Nec quisquam*, carta 138, ubi doceo uerbum subiunctiuum modi duobus modis posse accipi: subiunctiue et sine subiunctione ulla (cf. supra 2, 42, 20).

[2] 180. Per *ne* secundamque personam futuri subiunctiui uetamus, ut *ne ueneris*, sed per *non* secundamque praeteriti subiunctiui personam negamus, ut *non ueneris*. Et hoc secundum cum prima secundaque persona sit commune, ut *non crediderim*, *non credideris*. Et sine negatione dici potest, *improbe dixerim*, *dixerit aliquis*. Supra, loco proxime allegato uide.

[3] 181. Prima, secunda tertiaque persona praeteriti coniunctiui negando potes uti, ut *non uenerim*, *non ueneris*, *non uenerit*, sed uetando per *ne* duntaxat secunda futuri eiusdem modi, ut *ne ueneris*, *ne uenitis*.

[4] 182. Aduerbiu negatiuum secundae imperatiui personae praeponere non debemus, sed aduerbio *ne* dehortatiuo utemur, ut *ne ueni*, quandoquidem *ne* dehortatiuum indicatiuo non potest adiungi, sed uel imperatiuo uel optatiuo uel subiunctiuo. *Non* autem imperatiuo proprie non praeponitur, nisi in compositione *noli*, sed indicatiuo uel optatiuo uel subiunctiuo apertissime sociatur. Haec Priscianus in XV^o, post principium asseuerat (15, 2).

[5] 183. Inter *ne* uetiuium et *non* negatiuum fit differentia quia *non* negatiuum fere nunquam praepositum secundae personae imperatiui modi apud oratores inuenitur, ut *non ueni*, *non fac*, *non iugula*. Hoc enim non dicitur proprie. Nec abs re dixi *ferē*, sic enim improprie quandoque reperitur, sed apud poetas saepius, apud quos metri grauitate toleratur, ob quam uerbis uel impropriis uti possunt. Sed et oratores et poetae *ne* dehortatiuum secundae imperatiui personae possunt praeponere. Virgilius (*Aen.* 6, 544):

«Ne saeui magna sacerdos»;

et Terentius (*And.* 384):

«Ne nega»;

Liuius libro II (3, 2, 10): «Ne timete», et Quintilianus (*Decl.* 6, 6): «Ne relinque». Hic autem Quintilianus nos admonet ne dicamus *non feceris*, pro *ne feceris*, quia alterum negandi, alterum uetandi est. (2) Iccirco *ne* cum prima persona numeri singularis coniunctum minime reperitur, sed ob eam causam propter quam imperatiuum prima persona in singulari caret, quippecum nemo sibi soli aut uetet aut imperet. Vnde frequenter legimus *ne timuerimus*, *ne timeant*, nunquam autem *ne timeam*, nisi *ne prout et non*, sed *non timeam*, *non ausim*, *non sperem*, *non timuerim*, id est timere, audere, sperare non possum, aut *non ames*, id est amare non debes, sed uetando *ne me ames*. Ita *non amaueris* et *ne amaueris*, quorum alterum praeteriti temporis est, et negat alterum futuri et uetat. (3) Haec omnia sub dicto § *Nec quisquam* et uersiculo *Nec ad horum intelligentiam*, latius explico (cf. supra 2, 43, 2), ubi secundum Priscianum in XV subiicio (15, 2): «Etiam

partes aliae pro aduerbiorum diuersis significationibus surrogantur, et quandoque duae pro una, ut *nullomodo, nullatenus, quomodo*. Et aduerbia loco nominum posita reperimus. Virgilius in VII (*Aen.* 7, 204): "Sponte sua similiter et mane nouum",

et Salustius in *Catilinario* (5, 4): "Satis eloquentiae, sapientiae parum".

[6] 184. Lepos quidam in negatione facta per *si, non et nisi* cum aliis tum uerbis, tum uero *mentior* esse potest, ut per subiecta exempla liquet. Quintilianus (*Decl.* 2, 8): «Non est difficile, ut maritum uxor ocidat, si non est difficilius, ut filius patrem». Idem (6, 12): «Atque eo causam dimittimus, ut non sit absoluendus adolescens, nisi etiam laudandus». Idem (6, 3): «Mentior, nisi cum peregrinatio mea nos diduceret, maluit esse cum matre». Supra, libro secundo, § *Illud quoque*, post Laurentium libro 3^o, capitulo 33, hoc docentem dixi (cf. supra 2, 42, 15; Valla *Eleg.* 3, 29).

XL. De nisi.

[1] 185. *Nisi* post *quid* uel *aliud* interrogatiuum uel infinitum, sed et *nisi* et *quam* et *praeterquam* post *aliud* uel *aliter* uel *secus* uel comparatiuum potest cum decore constitui: *quid est animal nisi corpus cum anima concretum? quid est animal, edocemus, nisi corpus concretum cum anima; quid est animal, quam corpus cum anima non latine dicitur*. Verum si *aliud* uel *aliter* uel *secus* uel comparatiuum addidis, utroque modo decore proferetur: *quid est aliud animal quam corpus? uel nisi corpus cum anima concretum? quid est melius quam laete uiuere uel nisi laete uiueret?* (2) *Praeterquam* eandem aut prope parem uim quam *nisi* obtinet, cuius exempla, ut facilia, praetermitto. Vbi uero *praeter* est, ibi *praeterquam* locum habere potest, ut *nullius rei sum auarus praeter ipsius* uel *praeterquam temporis, nulli praeterquam mihi* uel *praeter me placere potes*. De his post Laurentium in meo *Elegantiarum breuiario*, libro 3^o, capitulo 58^o, scripsi, et supra, libro 2^o, § *Seu*, uersiculo *Nec praetermittendum puta*, recitauit (cf. supra 2, 44, 2; Valla *Eleg.* 3, 54).

[2] Quae autem consequenter in § *Quoniam satis et plusquam satis*, de *alter* et *alius* dixi, ea hic omitto, cum supra, in hoc libro, regula 41, reserarem. Idem de *quisque* et *utrique* cum uerbo aut participio, et de *unusquisque*, cum et supra, hic, regula 94, super *quisque*, et supra, regula 106, super *unusquisque* cum duabus regulis sequentibus declararem. Itidem de *hic* pro *talis*, quippe cum *praeter* ea quae supra, in 3^o libro, inter iurisconsultorum exempla, § *Hic proprie de re praesenti*, uersiculo *Praeterea*, retuli, et in eodem libro, regula 42, insuper de *id quod* pro *quod*. Nam et libro 3^o, regula 18, et in hoc libro, regula 64, in fine scripsi. Praeterea de *aliquis, quisquam, quispiam ulla*, et de differentia inter ipsa, et de *quidam*. Nam et hic, regula 28, 29 et 30, exposui. Tandem *unus* et *solus* et conuenientia differentiaque inter ipsa, quippe et hac regula X et regula 36 et 37, plene disserui. Tempus est ut ad regulas super tertia quartaque pronominum declinatione transeamus (cf. supra 4, 14, 4; 4, 28, 7; 4, 29, 7; 3, 23, 8; 3, 46, 3; 3, 42, 10; 4, 23, 64; 4, 11, 2-4; 4, 13, 1-2; 4, 8, 3).

XLI. De tertia pronominum declinatione.

[1] 186 igitur regula est quod tertia sit pronominum declinatio, quae in modum primae secundaeque declinationis nominum genitiuum in *-i*, in *-ae* et in *-i*, et datiuum in *-o*, in *-ae* et in *-o* finit, ut nominatiuo *meus, -a, -um*, genitiuo *mei, meae, mei*, datiuo *meo, meae, meo*.

[2] 187. Quod quinque pronomina secundum hanc tertiam pronominum declinationem declinantur, quae deriuatiuae speciei sunt: *meus, tuus, suus, noster* et *uester*. Pro harum duarum postremarum regularum confirmatione, Priscianus in XIII (13, 2-4) et *Doctrinale* dicit (1, 362-63):

«Tertia per primam fit nominis atque secundam».

Has tres Donatus distinxit sufficienter».

[3] 188. *Meus* secundum analogiam⁵, id est formationem rectam, uocatiuum *o mee* deberet facere, sed duas *-e* breues in *-i* longam euphoniae causa commutauit, ut et Priscianus in XIII^o libro eo scripsit.

⁵ *Glossa Analogia* secundum *Catholicon* dicitur ab *ana* quod est *rectum* et *logos* quod est *sermo*. *Analogia, -ae*, penultima producta, id est regularis formatio uel aequalis locutio uel similium comparatio siue proportio. Colligitur autem octo modis comparatio siue proportio analogiae: qualitate, comparatione, genere, numero, figura, casu, extremitatibus similium syllabarum et similitudine temporum. Vnde *analogicus, -ca, -cum* et *analogizo, -as* secundum Hugutio. Papias uero dicit: «*Analogia*

[4] 189. *Suus* secundum Laurentium Vallensem in libello *De reciprocatione sui* (*De rec.* 10), uocatum tam in singulari quam plurali potest recipere, ut supra, in magna epistola, sub XIII ratione, dixi. Et de his quattuor ultimis regulis, supra, libro 2^o, circa fine § *Tertia igitur pronominum est declinatio* (cf. supra *De sui*, 32; *De pron.* 2, 50, 1).

[5] 190. Inter genitium primitiui et possessiui *mei, tui, sui*, licet quantum ad uocem nulla sit differentia, tamen quantum ad sensum magna est, quod genitius primitiui simplicem possessorem notat, possessiui uero duplicem. Si enim dicam *mei est seruus* pro *meus est seruus*, significat simplicem possessionem demonstratio, sin autem dicam *fili mei seruus*, duplicem possessionem signo, quandoquidem *mei* in filio et *fili* in seruuo.

[6] 191. Haec quinque possessiua *meus, tuus, suus, noster* et *uester* saepenumero sine nomine proferre licet, maxime cum de dominis uel coniungibus uel amicis fiat mentio. Terentius in *Andria* (763):

«Cuius hic puerum apposui? Vestri. Cuius? Nostri»,
intelligitur enim domini uel herilis filii. Idem in eodem (*And.* 635):
«Cur tibi meam?»

subauditur coniugem uel sponsam. Idem in *Eunucho* (664):

«O mea tu»,

subauditur coniunx uel uxor. Nam omnibus et maritis mos est de uxoribus suis dicere *mea*, et uicissim uxoribus de maritis suis *meus* per nominis defectionem. Hae duae regulae ultimae a Prisciano primo minoris, § *Quaeritur*, confirmantur. Inuenies in meo *Elegantiarum breuiario*, libro 2^o, capitulo 4^o, in additione longa, § *Quaeritur*, et supra in magna epistola, § *Quaeritur*, sub ratione octaua (cf. supra *De sui*, 14; Prisc. 17, 126-130).

[7] 192. *Meus, tuus, suus* dicitur quem diligo, diligis, diligit. Vnde Seruius in V *Egloga* (5, 50): «Daphnim tui, scilicet quem diligis». Item secundum eundem in IX: «Tuus meris, scilicet amicos». Hoc in meo *Elegantiarum breuiario*, libro II^o, capitulo I, in fine, puta in additione finali, reperies.

[8] 193. -*Pte* ablatiuo generis feminini et numeri singularis quinque pronominum possessiuorum subingitur, et hoc discretionis causa plerunque significantiae, ut *meapte, tuapte, suapte, nostrapte, uestrapte* ut Priscianus in XII et XIII et Petrus Heliae in his libris et primo minoris asseuerant. Et haec Papias exponit: «Id est mea, tua, sua, propria causa. Vel *meapte*, id est meo usu uel more». Et *Catholicon* refert adiungens: «*Meapte* pronomen est, id est mea causa, et a *mea* speciei deriuatiuae est simplicisque figurae. Et est -*pte* syllabica adiectio, quae quinque femininis ablatiuis pronominum possessiuorum adicitur, ut *meapte, tuapte, suapte, nostrapte, uestrapte*, in XII Prisciano testante». Idem de *tuapte* dici debet. *Suapte* uero secundum *Catholicon Compraesorium*que uenit exponendum sua sponte, sua natura, sua propria causa, suo usu uel more. De *nostrapte* et *uestrapte* mentionem non faciunt, sed eodem modo exponenda reor, id est nostra uel uestra causa, uel usu uel more, licet de his nihil in *Alfonsina* reppererim, de hoc supra, libro I, § -*Pte quoque trium pronominum possessiuorum*, sat plene scribo (cf. supra 1, 11, 1; Prisc. 12, 24; 13, 1-6; 17, 60).

XLII. Quarta pronominum declinatio.

[1] 194. Quarta pronominis est declinatio quae in tertiae nominis speciem genitium in -*is* et datiuum in -*i* reddit, ut *hic et haec nostrás*, genitiuo *nostratis*, datiuo *nostrati*, *hic et haec uestrás*, genitiuo *uestratis*, datiuo *uestrati*. Et haec duo per hanc quartam tantummodo declinantur.

[2] 195. *Nostra* et *uestra*, ut *noster* et *uester*, a genitiuo plurali de *ego* et *tu* deriuantur, nam a genitiuo plurali, quod est *nostrum* uel *nostrum*, deriuatur *noster*, *nostra*, *nostrum* et *nostrás*, *nostratim* aduerbium. Et a genitiuo, quod est *uestrum* uel *uestri*, deriuatur *uester*, *uestra*, *uestrum* et *uestrás*, *uestratim* aduerbium. De his deriuationibus et aliorum trium *meus, tuus, suus*, Donatus in seus *Regulis* (2, 11), sub *Ego quae pars* et Priscianus XII maioris (12, 17), et ibi scribentes et *Doctrinale* circa capituli primi finem (1, 350), documenta praestant.

[3] 196. *Nostrás* est qui a nostra patria uel gente est, quam multi possidemus, hoc est tam mea quam meorum ciuium. *Vestrás* est qui a uestra patria uel gente est, quam multi possidentis, id est tam

graece est similitudo comparatio siue proportio». *Compraesorium*: «*Analogía* et *anología* cum -*a*- et -*o*- scribitur in significatione eadem».

tua quam tuorum ciuium, ut Priscianum in XII et primo minoris, § *Quaeritur seu pronomina* (12, 17; 17, 126).

[4] 197. *Meatim, tuatim, suatim, nostratim, uestratim* personalia sunt aduerbia, quia personarum significationem recipiunt, non quod eis accidat persona. Et uti *meatim* secundum *Graecismum* idiomate meo dicit, *tuatim* secundum Nonium (179) tuo more et secundum *Catholicon Compraesorium*que more tuo gentisque patriaeque, et *suatim* secundum *Compraesorium* id est suo more, suae gentis uel patriae, ita *nostratim* nostro idiomate uel more uel nostrae gentis uel patriae. Sic quoque *uestratim* per *uestro* debet exponi. Hae quinque regulae ultimae, supra, libro I, § *Species pronominum*, uersiculo *Deriuationes autem*, et § *-Met autem, -te, -pte et -æ*, et § *-Pte quoque trium pronominum*, latius declarantur (cf. supra 1, 2, 2; 1, 10, 1).

[5] 198. A *quis* uel *qui* nomine infinito, non modo patrium *cuiás*, ut apud Graecos, sed etiam possessiuum *cuius* uenit. Nam et pronomina quae finita sunt, et patria et possessiua habent, ut *meus, tuus, suus, noster, uester, nostrás, uestrás*. *Cuiás* autem a *cuiús, aiá, cuiúm* immediate, sed a *quis* mediante *cuius* deriuatur. Et *hic et haec cuiás, -átis* interrogatiuum, possessiuum, relatiuum, gentile est et patrium. Et de patria uel gente quaerit. Simul tamen de utroque quaerere non potest, ad quod per haec duo pronomina *nostrás* et *uestrás* pertinentes est responsio, ut *cuiás est iste? nostrás*, id est de nostra gente uel patria, uel per nomina gentilia uel patria, ut *Romanus, Italicus*, uel per specificatam gentem uel patriam in ablatiuo cum hac praepositione *de* posita, ut *cuiás est huius operis conditor? De Catalonia, de Barcinona*.

XLIII. De accentu cuiás similitumque.

[1] 199. *Nostrás, uestrás* et *cuiás*, ut *primás, optimás, Rauennás, Capenás, Arpinás*, et similia, et *Quirís* et *illic et istic* et *prodúc, edúc, didúc, ut amát et audít* sincopatis similibusque fit, accentum in ultima circumflexum habent, quippe cum per sincopam uel apocopam praestantur. Eorum enim perfecta sunt, uel apud perantiquos inuenta sunt, *nostrátis, uestrátis, cuiátis, primátis*, et sic de aliis comparibus, et *Quirítis* in nominatiuo *amáuit, audiuit, cupiuit*, quae omnia sincopam patiuntur. Et *illicce, isticce, prodúce, edúce, didúce*, in quibus nunc semper fit apocopa. (2) Nam et in *Virgíli, Mercurí* similibusque uocatiuis secundum antiquissimos apocopatis qui *Virgílie Mercurie*que dicebant, in penultima, licet breuietur, retinendus est accentus, cum in ea, uocatiuis existentibus integris, illi seruarent. Haec et alia super accentus materia, praesertim in aduerbiis a pronominebus descendentibus obseruandi, supra, libro I, § *Figurae*, uersiculo *Nec praetermittendum est*, cum suis Prisciani, Petri Heliae, *Doctrinalis, Catholicon* et Egidii allegationibus copiosis sunt exposita. Vnde et *Catholicon* in quinta parte, in uerbo *cuiás*, ait: «Circumflectitur *cuiás* in fine, quia olim dicebatur *hic, haec cuiatis* et *hoc cuiate*, quia circumflectebatur penultima» (cf. supra 1, 6, 5; cf. Prisc. 4, 21; 7, 18; 12, 17; 8, 5; 14, 49; Helias *ibid.*; *Doctrinale* 9, 2.301-ss.).

XLIV. De nostrás, uestrás et cuiás secundum Laurentium Vallensem.

[1] 200 regula est quod *nostrás, uestrás* et *cuiás* non tantum patriam nationemque, sed etiam partes sectamque significant, ut *uestrates philosophi non sunt ita populares ut nostrates, qui ab Epicuri schola prodierunt; et cuiátes philosophi uos estis? an Achademici an Peripathetici an nostrates Epicurei?* Hoc Laurentius Vallensis libro II^o *De elegantis*, capitulo tertio, scribit. Et ego post eum in meo *Elegantiarum breuiario*, eodem libro et capitulo. Et, Nonio referente (426), Cicero *Tusculanarum* libro V^o ait (5, 108): «Socrates quidem cum interrogaretur cuiatem se esse diceret, mundanum inquit. *Cuiás* et *cuiátis* idem significant, Actius in *Telepho* (625-26):

"Qui neque cuiatis esset unquam
potuimus multa rogitantes scire".

[2] 201. *Cuiús, á, úm*, tam interrogatiuum quam relatiuum esse potest, et a genitiuo *cuius* deriuatur, sed differt ab eo, quia *cuius, -a, -um* possessiuum est, et in fine propter concidentiam remouendam acuit. Sed et *cuiá* et *cuiúm* propter *cuiús* masculini consortium acuntur. Et in tribus cum substantiuo concordare tenetur. Virgilius in *Bucolicis* ait, ubi interrogatiue protulit (3, 1):

«Dic mihi, Dameta, cuiúmque pecus? an Meliboei?»

Terentius in *Eunucho* (321):

«Quid uirgo, cuiá est?»

Idem in *Andria* (932):

«Quid eam suamne esse dicebat an cuiám igitur?»

Cicero in *Verrinis*, *De praetura urbana*, relatiue posuit (2, 1, 55): «Haec eadem cuius res est, cuius periculum». Sed genitiuus *cuius* in fine non acuitur nec conformitatem exigit antedictam».

[3] 202. *Cuius* possessiuum secundum usum declinatur *cuius*, *cuiá*, *cuiúm*, accusatiuo *cuiúm*, *cuiám*, *cuiúm*, ablatiuo *a cuiá*. Et in usu plus non habet. Et infinitum, interrogatiuum, relatiuum et possessiuum est. Et ad interrogationem per *cuius*, *-a*, *-um* factam per nomina uel pronomina possessiua uel genitiuum specificante possessorem facienda est responsio, ut *cuiúm est mancipium? Petrinum, meum, mei, Martini* respondetur. De his duabus ultimis regulis in Prisciano primo minoris, § *Quaeritur cur pronomina*, carta 36, uersiculo *Et quemadmodum*, et in *Catholicon*, in quinta parte sui operis, in *cuius*, *-a*, *-um*, satis et plusquam satis habetur confirmatio (Prisc. 17, 142-43; 13, 17).

[4] 203. *Cuius* et *cuias* quando relatiua sunt, omnibus grauantur syllabis, ut et eorum primitiua relatione significantia. Et *cuius*, *-á*, *-úm*, tertiam pronominum declinationem imitatur, ut *cuiás* quartam, quae tertiae nominis est similis, ut Priscianus in XIII^o praecipit: «Quarta quidem ternae par debet nominis esse», et scribentes utrobique uideantur. Hae X regulae ultimae, ueluti a 199 usque ad 203, supra, circa secundi libri finem, a § *Quarta declinatio pronominis est*, usque ad finem latius explicantur (cf. supra 2, 51, 1).

XLV. De quomodo, quauia, quaratione. De ut pro qualiter.

[1] 204 regula et finalis est. *Quis* uel *qui* in ablatiuo singulari et plurali cum *modo* uel *modis*, *uia* uel *uiis*, *ratione* uel *rationibus* pro *qualiter* coniunctum saepenumero uel in eadem oratione, cum interuallo modico reperitur, ut in fine librorum Ciceronis *Ad Herennium* (4, 69): «Demonstratum est quomodo rei in omnibus generibus causarum inueniri oporteat. Dictum est quo pacto eas disponere conueniat. Traditum est qua ratione esset pronuncianum. Praeceptum est qua uia meminisse possemus. Demonstratum est quibus modis perfecta elocutio comparetur». (2) Illud autem praetermitti non debet, ut praeter multa significata alia, pro *qualiter* etiam accipi, ut nonnunquam coniuinctum *cunque* pro *qualitercunque* debeat intelligi. T. Liuius in totum operis sui prohemio, in principio, sic eleganter ait (1, 1): «Vtcunque erit, iuuabit tamen rerum gestarum memoriae principii terrarum populi pro uirili parte, et me ipsum consuduisse». Et infra: «Sed haec et his similia, *utcunque* animaduersa aut aestimata erunt, haud in magno quidem ponam discrimine». Supra, in principio exemplorum T. Liuii, sub § *Tametsi multa alia*, recitauit. (3) Item L. Florus, libro III^o, capitulo 2^o (4, 2): «Felicem utcunque in malis Pompeium, si eadem spem quae exercitum eius, fortuna traxisse», supra, sub uersiculo *Sic praecipitantibus*. *Vt* autem solum pro *qualiter* quoque posse intelligi, Iustinus in libri tertii principio (3, 1), demonstrat hoc modo: «Bactabasis praesenti statu non contentus, rem prodit Artaxerxi, ut pater eius occisus sit, ut frater falsa parricidii suspitione oppressus. Denique ipsi pararentur insidiae». Supra inter Iustini exempla, § *Idem in tertii libri principio*, retuli (cf. supra 3, 15, 1; 3, 16, 19; 3, 17, 5).